TRACTATVS DE INDVLGENTIIS,

IN QVO

1. *Quid per Indulgentias donetur.*
2. *Qui sint earundem effectus.*
3. *Quis poterit easdem elargiri.*
4. *Quibus prodesse poterint, explicatur.*

AVTHORE
R. P.
LAVRENTIO REYNERO,
Presbytero, & Monacho Ordinis S. Bened. Congregationis, & Nationis Anglicanæ.

Quodcunque solueritis super terram, erit solutum & in cœlis. *Mat. 16. ℣. 19.*

DVACI.
Typis LAVRENTII KELLAMI, sub signo Agni Paschalis, M. D C. XXXVI.

NOS Magister, R. RVDESINDVS BARLO, S. Theologiæ Doctor, Congregationis Angl. Ordinis S. Benedicti Præses, habitâ relatione RR. Patrum Ord. & Congregationis nostræ, quibus negotium cōmiseramus; Librum, qui inscribitur *Tractatus de Indulgentijs*, Authore R. P. LAVRENTIO REYNERO, Priore Monasterij S. Laurentij in Dei-custodiâ; non solùm approbamus, vti nihil continentem contra fidem Catholicæ Canones, aut mores; verùm etiam propter magnā vtilitatem, quam inde speramus, iniungimus prædicto Priori, vti eundem librum, quamprimùm fieri commodè poterit, prælo committat. In cuius rei fidem, hoc nostrum mandatum nominis nostri subscriptione, atq; etiam Secretarij nostri referendatione, necnon & sigilli, quo in similibus vtimur, appositione, communiri fecimus. Duaci in Conuentu nostro S. Gregorij, die 10. Septemb. 1627.

F. RVDESINDVS BARLO qui supra.

De mandato R. admodum Præsidis nostri F. Clemens Reyner Secret.

APPROBATIO.

HIc Tractatus *De Indulgentijs* R. P. LAVRENTII REYNERI, Prioris monasterij S. Laurentij, nihil habet Catholicæ fidei, vel moribus aduersum. Omninò bonam, & vtilem de hac materiâ tradit doctrinam. Quapropter vtiliter in lucem præli beneficio emittetur. Actum Duaci pridie Cal. Maij, 1635.

GEORGIVS COLVENERIVS, S. Theol. Doctor, & Regius, ordinariusque Professor, Collegiatæ Ecclesiæ S. Petri Præpositus, & Canonicus, Duacensis Vniuersitatis Cancellarius, & librorum Censor.

BENEVOLO LECTORI.

NObilis quædam Catholica in Anglia nostra, consanguineo suo paris nobilitatis Protestanti (secundùm normam Anglicam) libellum paruulum de Indulgentijs, Italicè primò conscriptum, Anglico verò idiomate posteà donatum, & publicatum (quo melius etiam vulgus ipsum, & quid Indulgentiæ sint, & quomodò ijsdem potiretur, clarè cognosceret) mutuò dedit; eâ intentione, vt exinde hauriret, quo parciùs contra Ecclesiam Catholicam, hâc præsertim de causâ, in posterum os aperiret, & aliqualem saltem satisfactionem,

circâ eum fidei articulum, animo conciperet. At contrâ accidit. Ratus enim exindè se magnum quiddam contrâ fidem Catholicam nactum, ad scribendum se contulit, & directis literis ad dictã suam Consanguineã, Indulgentias in multis taxauit, easdem tam nouitatis, quàm irrationabilitatis multoties insinuans, Lutherumque pro suâ contrâ easdem oppositione magnis extulit præconijs. Quibus literis, amicorum curâ & solicitudine, manibus nostris præsentatis, cogitare de responso cæpi; tùm, vt eisdem pro modulo meo satisfacerem, tum etiam maximè, vt Catholici, præsertim amici mei (in quorum cognitionem res iam deuenerat, quorumque omnium oculi in me modò conijciebãtur

expectabundi) nullo modo in fide vacillarent: quod quidem facili negotio accidere potuisset, si rem tacitus quasi ad defensionem reuerâ impotens, vel voluntate negligens pertransissem, imperfectionem meam in exilitatis fidei hâc in materiâ causam transfundentes. Exinde ventilatæ vltrô citrôque aliquoties literæ: quas quasi minùs habentes prælo indignas, inanibusque, & verbalibus, (forté verbosis) querelis refertas, & personalium acceptionum plenas, & maximè quòd nobilem illum (quem honoro, & veneror, licet in causâ Dei, & fidei querelâ, nec illum, nec quẽuis alium verebor opponere) traducere nollem, apud me quidem seruo, sed mundo exhibere iustũ non iudicaui. Ansâ autem ex his c

mihi datâ, fortè autem veriùs captâ, potiùs quàm verâ causâ impellente (adeò leuis mihi obijciebatur materia, & imbelles obtrudebantur ratiunculæ) tractatum hunc de Indulgentijs aggressus sum; vt appareret, etiam in hâc materiâ (quam leuissimam æstimant Nouatores, & tanquam ruinoso, vltrà alios omnes fidei articulos, suffultam fundamento semper impetunt, & per quam primò contrâ Ecclesiam defectu-ri inclamarunt) Ecclesiam Catholicam benè fundatam suprâ firmam petram fidei veræ, verbi sacri Dei, Patrum, Antiquitatis, & rationis: & ex aduerso, quàm irrationabiliter ignorantes, & malitiosè obstinati sint, qui eidem contradicunt, voluntariè se à venerabili antiquitate separan-

tes,

tes, quò faciliùs, & liberiùs quālibet etiam incertiſſimam captarēt nouitatem. Diuinâ autem bonitate inſpirante, & adiuuante ad finē optatum perduxi, exſcripſi, copiamque Antagoniſtæ meo (ſine ſpe, licet annos aliquot modò expectauerim, reſponſionis) tranſmiſi. Hæc ſumma rerum, & libelli occaſionum.

II. Et mirum certè eſt, quid audeant affirmare, & negare noui iſti Euangelici, vt ſuos defendant errores. Imò verò mirum eſt, quos defendant errores, vt ſuâ libertate in vitę huius delicijs fruantur. Rationem, ſenſualitatibus ſuis diſtracti, vel mundi timore perculſi, aut non intelligūt omninò, aut certè nolunt auſcultare. Patres omnes, homines fuiſſe, & vt homines erraſſe, aſſeuerant,

rant, se solos θεοδιδάκτους æstimantes: Scripturas solas clamitant; & cum ad Scripturas sacras itur, libros aliquos exinde abradunt, alios mutilant, reliquos suo solùm sensu priuato quique explicatos capi volunt. Iudicem litis priuato ducti spiritu aspernantur omninò. Rationes, Patres, Scripturas, vti apparebit, apertissimas hoc libello contentas nobili meo transmisi: quid responsi? Certè hoc. *Cum sciam aduersarium Monachum Benedictinum, vlteriùs cum illo rem habere nolo.* Et rationem reddit. *Licet enim Rex conniuere, & tempus fauere videatur aliquali libertati, præsumendum tamen non puto, ideóque ita actiones meas omnes conabor regulare, vt legibus regni conformes omninò inueniantur, & hoc vsque dum Parliamento aliter videatur ordinan-*

Epist. suâ vlt.

dinandum. Hic finis controuersiæ, hæc cura conscientiæ, hic zelus amoris Dei, vt pacẽ cũ mũdo habeãt, & amicitias cõtrahant cum delicijs huius vitæ, vt *in bonis ducãt dies suos*: at auertat Deus, ne *in punctõ ad inferna descendant*, sed resipiscant potiùs, duritiamque cordis excutiant, mentisque oculos ad veritatis lumen conuertant, vt salui fiant.

Iob. 21. 13.

III. Atque equidem si vel minimùm animaduerterent, vel ipsamet ratio (si creaturæ rationabiles æstimari velint) hæc eorum omnium insipientiam confunderet, doceretque apertissimè, imò & digito notaret, & quænam hæreses, quæue Catholica fides ex ijs, quæ controuertuntur modò, demonstraret: quod vel vno illo antiquitatis argumento liquet.

Vndè non possum satis mirari,
quamobrem dictus meus Nobilis
(aliàs cordatus satis) magistros
suos cæcutientes imitatus, Indul-
gentias in suis literis non verea- *epist. suâ*
tur *nouellas* vocitare *nouitates, pau-* *primâ*
lòque antè Lutherum inuentas; quum
sciat, vel saltem facili negotio ex
eodem ipso libello, vndè scanda-
lum sumpsit, scire potuisset, om-
nem antiquitatis venerandæ au-
thoritatem pro iisdem ità militā-
re, vt Christianus quilibet, nisi
crassâ & affectatâ laboret igno-
rantiâ, securus esse possit, ab ipsis
Ecclesiæ primordiis, per sacros
etiam Iesu Christi Apostolos, eo-
rumque discipulos, & successores
practicatas fuisse. Quod si hoc nō
ità clarum esset, generali tamen
illo argumento, quod in omni
fidei articulo inuincibile est, luce

clariùs earundem integritas, imò & antiquitas apparebit. Cum enim verum sit, quòd habeant Ecclesiæ Rectores non solùm authoritatem; verùm etiam obligationem, & præceptum, vt inuigilent super gregem sibi commissum tam à Spiritu Sancto, quàm à Christo Domino; eam curam adeò sollicitè, & accuratè semper egêre, vt nunquam inuenta, publicataque fuerit in Domo Dei nouella vlla doctrina, etiamsi solùm vel modicè suspecta, contra quemuis fidei articulum, per quacunque personam, etiam cuiuscunque dignitatis vel præeminentiæ, contra quam se illico non opposuerint. Nullo enim tempore, nulla occasione, in vlla forma, vel figura, ouina licet tectus pelle, potuit se lupus gregi, vel modi-

Act. 20. ỳ. 28. Mat. 28. ỳ. 19. 20 Ioh. 21. ỳ. 15. 16. 17.

cum

cùm ostentare, contrà quem statim vigiles Ecclesiæ canes non oblarârunt; & contrà quem veri Ecclesiæ pastores corpora sua cũ summo vitæ periculo (dum necessum fuerat) pro grege sibi cõmisso non exposuerint, nec vnquam celatus est erroris author, sed historijs, annalibusque in perpetuam rei memoriam insertus, erroresque confutati, & pro hæresibus illicò condemnati, & anathematizati. *Licet* enim *verum sit*, vti rectè D. Aug. *quòd Ecclesia Dei inter multã paleam, multaque zizania constituta, multa toleret*; & id item verum est, quod idem D. Aug. consequenter subiungit, *tamen quæ sunt contrà fidem, vel bonã vitam, non approbat, nec tacet, nec facit.* At verò author ille, qui primò Indulgentias inuenit, nominari,

D. Aug. epist. 119. ad Ian de rit. Eccle. c. 19 propè finẽ.

nari, aut tempus ipsum, quo primùm inceperint, quoùe Ecclesiæ pastores illis se opposuerint, quiùe pastorum easdem tanquam hæreticas auersati sint, condemnauerint, aut anathematizauerint, assignari nullâ possunt ratione. Imò meus ille Antagonista nullum alium contradicentem antè Lutherum inuenit, & hunc annis ducentis quinquaginta, & ampliùs (vti ipse fatetur,) ab ipsarum exercitio: tanta enim ab Vrbano quarto (quem ille falsò æstimat primum Indulgentiarum inuentorem, & largitorem) ad Lutheri contrà easdem primam exclamationem decurrêre tempora; in quibus omnibus absque contradictione vllâ (vti fatetur) Indulgentiæ publicè in Ec-

clesiâ vniuersâ non recipiebantur modò, sed & practicabantur, & iii dies augebantur, & vsque ad Lutheri propalatas assertiones, quā gloriosissimè colebatur Quod quidem (mihi videtur) quasi insinuare præscriptionem aliquam in iure ex tam longâ, & pacificâ possessione contrà Lutheri, & assectarum suorum conclamationes. Quòd si hæreticæ essent, vti causantur aduersarij, & in Ecclesiam sub Vrbano 4. vel aliâs antè irrepserint, & paulatim grassatæ vniuersam occuparunt Dei domum, vbi fodes, toto illo fuêre tempore peruigiles Ecclesiæ canes? quid non latratibus terruerint venientem lupū? Num omnes Ecclesiæ ab inde pastores mercenarij? Ne vnus quidem inuentus *pastor bonus, qui animam ponat pro*

Octob. vltimo, 1517.

ouibus suis? Indulgentiæ in ouile inuectæ totam paruaſêre Eccleſiam, & nullus canis, nullus paſtor animaduertit: non ſcitur quandò: non quomodò: non à quo: non quibus mediis: non vbi primô: de ingreſſu, aut progreſſu nil omninò: hoc tantùm ſcitur, ibi ſunt.: reliquum ignoratur. Mirum valdè hoc! Christum non fuiſſe Deum: hæreticum, & lupi morſus mactare volentis: obſtitêre paſtores; & Cherinthus lupus declaratus eſt. Duo rerum principia prima fuiſſe, bonum vnum, malum alterum: hæreticum certè, & ouium deſtructiuum, & in ouile ingeri parabatur. A quo quæſo? Surrexêre paſtores vigiles; & Cerdon proclamatus eſt lupus. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus vna tātùm perſona ſunt: inau-

Centuriā 1.

Centur. 2.

Centur. 3.

inauditum priùs in Ecclesiâ, blasphemum & hæreticum: Sabelli lupi inuentum horrendum, & illicô à pastoribus condemnatum, & anathematizatum. Patri filius consubstantialis non est: Lupi fraus & commentum, caulas intrare satagentis. Inuenêre pastores dolum, & blasphemum Ariũ lupum nominârunt, & eiecêrunt. Quid memorem plures? Nullus lupus magnus, nullus lupus minimus, oues terruit vnquam, quin & ipse â canibus, & pastoribus statim territus sit, & profligatus. Non Origines, non Tertullianus, non ipse Cyprianus (Martyr licet posteà,) non Caietanus, quãuis Cardinalis, non tanti, & tam multi Episcopi, etiam in Synodis congregati, non Archiepiscopi, non Patriarchæ, non Imperatores,

Cent. 4.

res, imò fuerit Papa ipse Ecclesiæ licet caput, modô hæresim (si fieri potest) doceat, permissus, aut fuit, aut vnquã erit impunè aut pacificè errores propalare, multô minùs disseminare, quin ab alijs Ecclesiæ pastorib⁹ statim cõtradicetur, & factum ęternæ memorię commendabitur, prout iam factum esse anteactis temporibus Patres testatũ reliquêrunt. Marcellinus non ex errore, sed terrore thus simulachris adolêuit, & conuenêrunt Patres Sinuessæ ad videndum de verbo hoc. Scriptum est de Liberio, quòd persecutione actus, & palliatis criminationibus circumuentus, subscripserit Athanasij damnationi in causâ fidei inflictæ, faueritque Valenti, & Vrlacio Arrianis, personis, dico, non errori-

erroribus. Nec minùs scriptum habemus, Fœlicem secundum cum Arrianis communicasse (nō dico Arrianum fuisse) & hoc dū Antipapa esset. Simile quid de Vigilio habemus. Iohannes vigesimus secundus, vt priuatus Doctor (non enim de hoc quicquam tunc temporis definitum erat) sensit animas Sanctorum non videre Deum antè resurrectionem generalem, moriens autem etiam in hoc se Ecclesiæ censuræ, & successoris sui decisioni subiecit humiliter. Et hoc nouimus. Nouimus & similia omnia, tam de summis Ecclesiæ Pontificibus, quam de Imperatoribus Constantio, Iuliano, Valente, Zenone, Anastasio, Constante, Leone 3. & 4. Constantino 5. & 6. & reliquis: itâ vt religionis nihil, fi-

dei

lei nihil; imò vix quicquam de moribus actum, quod Ecclesiæ scandalum dedit, qui in historiarū fideli relatione ad nostra peruenerit tempora, nec personarū vilitate contemptum est, nec maiestate & authoritate suppressum; Deo meliùs pro Ecclesiâ suâ disponente, vt omnia sciamus, quò meliora sequamur, peiora caueamus. Mirum ergò, imò verò admirandum in modum mirum, quòd cùm omnes habeamus registratas hæreses, omnes hæresiarchas signatos, imò ipsas temporum, locorum, occasionum, oppositionum circumstantias particulatim denotatas; de hæresi hâc Indulgentiarum, de earundem authore, hæresiarchâ, de initio, de progressu, de contradictione, de reliquis annexis ne vnum ver-

 bum.

bum. Admirandum certè hâc in re vniuersi mundi altum silentium. Vbi, quæso, delituêre ab Apostolis vsque ad Lutherũ pastores? Vbi vigiles canes? Num timore perculsi omnes tacuêre, qui Christum habent *adiutorem vsque ad consummationem sæculi*? Quid de ipsâ Ecclesiâ dicamus? Nũquid *portæ inferi præualuerunt aduersus eam*? Absurdum, imò blasphemum!

Mat. 28. ꝟ. 20.

Mat. 16. ꝟ. 18.

34. Aliter ergô de Indulgentijs Christiano sentiendum, & quarum initium, author, & progressus inueniri non potest, ab ipsis Apostolis, & Christo Iesu deriuatas & agnoscamus, & veneremur: Ità enim ratiocinatur D. ipse Augustinus, cum dicat: *quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est,*

D. Aug. l. 4. c. 4. de bap. con. Donat.

est, non nisi authoritate Apostolicâ traditum rectissime creditur. Eandem secutus fidei normam Leo magnus, ait: *Dubitandum non est, omnem obseruantiam Christianam eruditionis esse diuinæ: quicquid in Ecclesiâ in consuetudinem est deuotionis retentum, de traditione Apostolicâ, & de Spiritus Sancti prodire doctrinâ.* Nec dissimilia sunt, quæ D. nos docet Basilius, cũ ait: *Dominus sic docuit, Apostoli prædicauerunt, Patres conseruauerunt, Martyres confirmauerunt; sis contentus dicere, velut doctus es.* Qui si vera doceant, id etiam verum erit, Indulgentias à nullo post Apostolos inuentas fuisse; nominent aduersarij quemcunque voluerint, ante quem ego aliũ non nominauerim, vsque dum ad ipsos Iesu Christi Apostolos perueniamus,

D. Leo ferm. 2. de ieiunio Pet.

D. Basil. ho. con. Sabel.

qui easdem docuerit, & practicauerit: & è consequenti, vera & pura fides est Catholica, *Indulgentias ex authoritate, & traditione Apostolicâ, & de Spiritus Sancti prodire doctrinâ.* Nec sufficit dicere, furtim eas irrepsisse, atque inde paulatim vniuersam inuasisse, & corrupisse Ecclesiam, licet author assignari nō possit, hoc enim insimularet prædictos Patres Augustinum, Leonem, Basiliuque magnæ ignorantiæ, vel erroris voluntarij, & malitiosi: imò verò Iesum Christum promissi ad Ecclesiam suam facti violati; Pastores Ecclesiæ omnes, & Doctores supinæ negligentiæ, quòdque diu satis dormitauerint, & mercenarij facti sint ad vnum omnes: Ecclesiam ipsam, quòd *portæ inferi præualuerint aduersus eam*; quòd non

Mat. 16. ỿ. 18.

non sit *columna, & firmamentum veritatis*: quòd *Spiritus Sanctus non docuerit eam omnem veritatem*: quòd Christus non fuerit *cum eâ vsque ad consummationem sæculi*: quòd defecerit, & vlteriùs Sponsa Christi non sit; & in omnibus Christum mendacem, Ecclesiamque eius Sponsam adulteram. Quod (quiâ horrendum, blasphemumque sit nimiùm) ipsi etiam aduersarij verebuntur affirmare.

1. Tim. 3. 15. Ioh. 6. 13.

Mat. 28. ỳ. vlt.

V. Breuiter ergô sic argumentor. Omni errori, omni hæresi ab Ascensione Christi vsque ad nostra hæc tempora, etiam in ipsomet sui ortus initio, à veris pastoribus, & vigilibus Ecclesiæ Doctoribus contradicebatur: At verò Indulgentiæ ab ipsa Christi Ascensione in Ecclesiâ docebantur, & practicabantur sine vllâ omninò contradictione vsque ad Lutheri

tempora (vti nobilis meus confitetur,) vel veriùs vsque ad wiclefi, vel waldensium potiùs dies: Ergô Indulgentiarum fides, error aut hæresis esse non potest, sed è Spiritus Sancti prodijt doctrinâ. Et iterum sic. Vt primùm waldenses, wiclefus, aut Lutherus suas contrâ Indulgentias assertiones exposuêrunt, & propalarunt; illicò, ipso etiam die, veri Ecclesiæ pastores, & Doctores vigiles contradixêre, & etiam nunc suam oppositionem, concionibus è suggestu, scriptis libris, & gestis multimodis continuârunt: ergò ipsorum contrâ easdem negatiuum, nouum, & in Ecclesiâ antiquâ inauditum omninô, & hæreticum. Imò verò liceat bonâ suâ veniâ dicere, Lutherum boni pastoris officium deseruisse omninò. Non enim in-

trà caulas manendo lupum arcere conabatur; at nactus potius occasionem, & scandalo capto, nisi rapto (quod honore publicationis earundem per Germaniam priuatus fuerat) ouile disrupit, vt egrederetur, nouasque cum mũdo, & sensualitate iniret societates, adeòque lupus effectus ipse, oues Iesu Christi dispersit, & fœdè mactauit multas. Ne miremini ergò, si Lutherum pro suâ nouellâ contrâ antiquissimum Indulgentiarum vsum oppositione damnemus, & tanquam Hæresiarcham nouas condentem hæreses anathematizemus.

VI. Speramus autem hâc de re copiosè satis, & dilucidè in ipso tractatu locuturos; ideòque his supersedemus pro præsenti. At verò fortè non abs re erit, libri scopum, materiæque ordinem

hic paucis explicare, vt vno oculo totum libelli argumentum comprehendas lector, vtque faciliùs inde iudices, & si quid boni inueneris, haurias copiosiùs. In ingressu ergò contendo omnia, & singula Ecclesiæ membra in omnibus satisfactionibus spiritualibus ad inuicem communionem habere. Deindè Christum superabundanter pro totius mundi redemptione satisfecisse, quosdamque Sanctorum eius opera satisfactoria vltrâ temporalis pœnæ, suis cuiusque demeritis debitæ, obligationem perpetrasse: ex quibus omnibus redundantijs Ecclesiæ thesaurus inæstimabilis, & alijs communicabilis coalescit. Post hæc, statuto quòd reatu culpæ mortalis remisso, & pænalitatis eidē debitæ æternitate condo- [illegible] natâ [illegible]

Cap. 1. Sect. 1.

Cap. 1. Sect. 2.

Cap. 2. Sect. 1.

natâ, remaneat adhuc temporalis aliqua pæna pro eâdem mortali culpâ satisfacienda; conor probare Ecclesiam, eiusdemque Prælatos authoritatiuè posse imponere, & de facto aliquandò imposuisse eiusmodi temporales pænalitates, adeòque eosdem ad dies, menses, & annos pænitentiarum obligare: Et vltrà, eandem Ecclesiã, pastoresque eiusdem posse distribuere, & de facto distribuisse aliquandò dictum spiritualium satisfactionum thesaurum præfatis pænitentibus deficientibus in suis multimodis satisfactionibus, vel vt suprâ, vel aliundè cõtractis, adeòque satisfacere Dei iustitiæ ipsorũ nomine, pænitẽtesq; eâ releuare obligatione; quod Indulgẽtiarũ propriũ est: hocque non tantũ, donec viui in Ecclesiâ militant pæni-

Cap. 3.

Cap. 4.

pænitentes, verũ etiã dũ patientes in Purgatorij flãmis exusti pænas luant culparũ, modo licet differẽti his, & illis elargiãtur. Quod reliquũ est, liber ipse docebit: in quo si quod erratum sit (beneuole lector) inscitiæ potius, quã malitiæ imputãs, humaniter condona: verũ si emolumẽti exindè tibi quid proueniat, modica oratio mercedi sat erit; sin minùs, & omninò inutilis fortè fuerit, attamen quià boni aliquid attentatũ est, precare misericordẽ Dñm, vt gratijs suis efficaciter præuentus vitã sceleribus refertã emẽdẽ, & itâ plenariâ ab ipso donatus Indulgẽtiâ, vitã ingredi merear sẽpiternam. Vale.

TVVS IN CHRISTO FIDELIS SERVVS.

F. LAVRENTIVS REYNER.
indignus S. Laurentij Prior.

AVTHORES IN HOC TRACTATV CITATI.

Anno Christi.	
	Biblia Sacra.
70.	Dionysius Areopagita.
80.	D. Ignatius Martyr.
92.	D. Clemens Magnus.
193.	D. Irenæus Martyr.
195.	Tertullianus.
200.	Origenes.
120.	Iustinus Martyr.
225.	D. Greg. Neocæsariensis.
283.	D. Caius Papa.
240.	D. Cyprianus Martyr.
300.	D. Athanasius.
304.	Lactantius.
304.	Concilium Elibertinum.
309.	Eusebius Cæsariensis.
310.	Concilium Ancyranum.
313.	Concilium Gangrense.
320.	D. Gregorius Nazianzenus.
325.	Concilium Nicenum 1.
325.	Concilium Laodicenum.
320.	D. Basilius magnus.

36.	Concilium Carthaginense 1.
336.	D. Pacianus Barcinon.
355.	D. Sophronius Hierosol.
355.	Prudentius.
360.	D. Hieronimus.
360.	D. Ambrosius.
360.	D. Ephrem.
370.	D. Io. Chrysostomus.
370.	D. Epiphanius.
385.	D. Augustinus.
398.	Concilium Carthaginense 4.
410.	D. Cyrillus Alexandrinus.
420.	D. Theodoretus Cyrensis.
425.	D. Maximus Taurinensis.
440.	D. Leo Magnus.
450.	D. Fulgentius.
529.	Concilium Arausicanum 2.
530.	Procopius.
590.	D. Gregorius Magnus.
701.	Venerabilis Beda.
730.	D. Ioannes Damascenus.
770.	D. Ludgerus.
803.	Leo 3.
860.	Photius.
1060.	Iuo Carnotensis.
1080.	D. Anselmus.

1120. | D. Bernardus.
1130. | Gratianus.
1150. | Rabbi Moyses.
1106. | Gulielmus Antiſiodorenſis.
1215. | Concilium Lateranenſe 4.
1215. | Innocentius 3.
1245. | Innocentius 4.
1255. | D. Thomas.
1500. | Gropperus,
Bartholomeus Iurgeuicius.
Antonius Margarita.
Concilium Tridentinum.
Chronica Pādalio-lutherani.
Surius.
1600. | Bellarminus,
Iodacus Coccius.
Canyſius.

Extranei.

Ioannes Iſaac.
Richardus Knols.
Sandis.

Hæretici.

Lutherus.
Caluinus.
Oecolampadius.
Bucerus.
Ioach. Camerarius.
Whittakerus.

Elenchus titulorum capitum Tractatus de Indulgentijs.

Capud I. Quid per Indulgentias donetur.

Sectio I. de Communione Ecclesiæ.

Sectio II. de Thesauro Ecclesiæ.

Cap. 2. Qui sint Indulgentiarum effectus.

Cap. 3. Quis poterit Indulgentias elargiri.

Cap. 4. Quibus poterunt prodesse Indulgentiæ.

TRACTATVS DE INDVLGENTIIS.

Quo Indulgentiarum essentia & natura faciliùs inuestigetur, & inuenta cognoscatur, tractatus hic in quatuor tantum capita distinguetur: quorum primo id resoluetur, vt sciatur, QVID PER INDVLGENTIAS DONETVR. In secundo autem hoc; QVI SINT INDVLGENTIARVM EFFECTVS. In tertio verò; QVIS POTERIT INDVLGENTIAS ELARGIRI. Et denique; QVIBVS INDVLGENTIÆ PRODESSE POSSVNT. Et his credo satisfiet toti Indulgentiarum controuersiæ.

CAPVT I.

Quid per Indulgentias donetur.

I. DE Indulgentijs hic; quâ solutiones sũt; tractandum; nam contrà istiusmodi, vt plurimum, clamitant Nouatores, non intelligentes

fortè quid ſit Indulgentia quatenùs abſolutio; ac proindè de ijſdem quatenùs ſolutiones vt plurimum quæſtio noſtra erit: de ambâbus autem vide inferius c. 3. .§ 2. & 3. vbi plenius de vtrâque dicemus,

II. Cum Indulgentia ergò quâ ſolutio ex naturâ ſuâ dicat ſatisfactionem, ex actionibus Ieſu Chriſti, & Sanctorum eius ſuperabundantibus collectam, & in theſauro Eccleſiæ reſeruatam, conferendam & applicandam alijs Eccleſiæ fidelibus deficientibus in culparum ſuarũ ſatisfactione; liquet omninò, communionem aliquam, & participationem talis theſauri ſatisfactorij inter Eccleſię membra ſtatuendam eſſe; aliâs neque ſuperabundantes tribuere, nec deficientes accipere quicquam poterunt ex eorum affluentiâ. Ideòque ſtatim in limine huius libelli neceſſarium erit hanc membrorum Chriſti & Eccleſiæ, tanquam pro fundaméto ſtabilire communionem: vt luce clarius appareat vtrumque; vtpote, primò; quod qui ſuperabunda-

uerint in ſatisfactionibus, potuerint vel deficientibus fratribus de ſuâ plenitudine donare, vel theſauro Eccleſiæ conſignare; & poſteâ, quod è conuerſo poterint deficientes ex aliorum abundantiâ recipere ſufficiétes ſatiſfactiones à fratribus, vel è theſauro Eccleſiæ, quibus diuinę iuſtitiæ in toto, vel in parte omninò pro ijſdem ſatisfiat. Et hinc eſt, quod caput hoc in duas ſubdiuideretur ſectiones, in quarum priore de Communione, in altero verò de Theſauro Eccleſiæ pro modulo noſtro diſputabimus.

✠

SECTIO I.

DE ECCLESIÆ COMMVNIONE.

§ I.

De Communione Ecclesiæ in genere.

I. IN Apostolorum symbolo nonum habemus articulum; *Sanctam Ecclesiam Catholicam. Sanctorum Communionem.* Vbi Ecclesia itâ generim accipiéda est, vt totum Iesu Christi corpus comprehendat, vtpote vt Ecclesiam in cælis Triumphantem, in Purgatorio Patientem, & Militãtem in hoc mundo (etenim omnes vnam vniuersalem constituunt, sub vno capite Iesu Christo Ecclesiam) comprehensas intelligamus. Itâ enim vult D.

Aug.

Augustinus cum dicat: *Ecclesia tota hic accipienda est, non solum ex parte, quá peregrinatur in terris, à solis ortu vsque ad occasum laudans nomē Domini; & post vetustatis captiuitatem cantans canticum nouum: verum etiam ex illá, quæ in cælis semper ex quo condita est cohæsit Deo, nec vllum sui casus malum experta est.* Et alibi: *Neque piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesiâ, quæ etiam nunc est regnum Christi. Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in cōmunione Corporis Christi, nec aliquid prodeßet ad eius in periculis baptismum currere, ne sine illo finiatur hæc vita; nec ad reconciliationem, si fortè per pænitentiam, malamue conscientiam quisque ab eodem corpore séparatus est. Cur enim fiunt ista, nisi quiá fideles etiam defuncti membra eius sunt.* Verum ergò est, tantam esse Ecclesiæ latitudinem, vt totam regni Dei comprehēdat vnitatem, vti tam hic quam etiam alibi benè D. affirmat Augustinus: *Vna est enim sponsa Christi,* nec diuersas habere poterit: in cælis nempe vnam, in terris aliam, tertiamque in

D. Aug. in Enchyrid. cap. 56.

Aug. lib. 20. de ciuitat. Dei. c. 9.

Aug. tract. 32. in Ioan.

Purgatorio. *Vna est columba mea, perfecta mea*, inquit Sponsus in Canticis: *vnum* vocatur *corpus* à D. Paulo, & *vnum ouile* à Iesu Christo. Quid plura? fatetur hoc idē ipse Caluinus. *In symbolo vbi profitemur*, ait, *Nos credere Ecclesiam, id non solum ad visibilem, de quâ nunc agimus, refertur; sed ad omnes quoque electos Dei, in quorum numero comprehenduntur, etiam qui morte defuncti sunt*; sint in cælo illi *electi*, vel in Purgatorio: sunt enim in Purgatorio illorum quidam (vti posteâ apparebit) in viâ scilicet, & peregrinantes ad terminum suæ requietionis: medij inter Militantem & Triumphantem. Quid clarius?

Rom. 12. 5. Io. 10. 16. Caluin. lib. 4. Instit. c. 1. n. 2.

II. Nec *Sanctorum communio* aliter sumenda, quam vt hanc totam Ecclesiæ latitudinem adæquet: Itâ enim D. Augustinus: *Sanctorum communionem, id est, cum illis sanctis, qui in hâc vitâ quā suscepimus, fide defuncti sunt, societate, & spei communione teneamur*; in cælis sint, sint in Purgatorio. Qui enim nūc purgantur, postmodum Sancti fiunt glorio-

D. Aug. ser. 181. de tempore c. 13.

gloriosi; imò etiamnum modò quidam in cœlis gloriosè triumphant, qui non multo ab hinc tempore in purgatorij flammis miserè torquebantur rubiginem abradentes: scimus enim, *quid non intrabit in ciuitatem sanctam Hierusalem aliquod coinquinatum*. Ita ergò sumenda Ecclesia, eiusdemque communio, vt integrales illę omnes partes vnam conflent vniuersalem Ecclesiam, & sibi inuicem tanquam vera vnius Christi corporis membra communicent in omnibus orationibus, suffragijs, sacrificijs, satisfactionibus, & gratijs spiritualibus, &c: itâ vt Triumphans Militanti, & Patienti suis succurrat orationibus, & sacris apud Deum suum sponsum intercessionibus, defendatque patrocinijs, &c: Militans Triumphantem imitetur, & honoret, templis, festis, concionibus, vigilijs, processionibus, inuocationibus, sacrificijs, &c. & Patientem adiuuet orationibus, satisfactionibus, sacrificijs, & suffragijs, &c. Et denique Patiens pœnarum relaxationem, ex v-

A 2 poc. 1. 27.

triusque solicitudine, charitate, & negotiatione percipiat. Patent hæc omnia.

III. Ecquid mirum, vt sub vno capite vnius corporis membra omnia cõmunicent inuicem? *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua*, inquit Dauid. Quid lucidius? Dauid Ecclesię membrũ affirmat, se *omnium participem* nemine dẽpto, mortuusne fuerit necne, præsẽs, præteritus, vel futurus, modò *Deum timeat, & mandata eius custodiat*; & hoc modo corporis Ecclesiæ membrum sit viuidum. Si Dauid, quid ni & ego? vel quilibet alius Ecclesiæ filius?

A Psal. 118. 63.

IV. Iterum: *Sicut corpus vnum est, & membra habet multa* (verba sunt D. Pauli) *Omnia autem membra corporis cum sint multa, vnum tamen corpus sunt: ità & Christus; etenim in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, &c.* Et prosequitur in eâdem pro cõmunione hâc comparatione, & subiungit: *Non potest autem oculus dicere manui, operâ tuâ non indigeo: aut iterum caput*

1. Cor. 12. 12.

vers. 21.

caput pedibus, non estis mihi necessarij, &c. Et tandem concludit: *Sed Deus temperauit corpus ei, cui deerat abundantiorem tribuendo honorem, vt non sit schisma in corpore, sed idipsum pro inuicem solicita sint membra. Et si quid patitur vnum, compatiuntur omnia membra, siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro, &c.* Et exindè enumerat membra Ecclesię sanctę: nempe *Apostolos, Prophetas, Doctores, &c.* Pulchrum equidem, & ad rem nostram declarandam argumentum efficacissimum. Numquid enim non pro nobis D. Paulus à simili benè ratiocinatur? Christus est Ecclesię corporis sui caput: nostrûmque singuli, qui in gremio Ecclesiæ ipsius per baptismum recipimur, eiusdem membra sumus: adeòque ex D. Pauli instantiâ quisque aliorum Ecclesiæ membrorum miseriæ condolere, fœlicitatique congaudere & congratulari debet, in bonis, & malis cum omnibus eiusdem corporis membris cõmuni-

municando. Quid euidentius? At verò hęc communicatio bonorum alia non poterit esse, nisi in spiritualibus: primò, quiâ hoc Christi corpus (Ecclesia) spirituale est, ideòque spiritualem exigit vnionem, & bonorum communionem: & deinde Symboli fidei articuli non nisi de spiritualibus tractāt: tum denique Cœlum, & Purgatorium de temporalibus non curant omninô. Quod si in hoc mundo etiam, & hâc Militanti Ecclesiâ, temporaliũ sine murmure communicatio (ad primitiuæ normam Ecclesiæ, & sicuti etiamnum in Monasterijs practicatur) fieri poterit, optabile certè esset, maiori enim charitatis vinculo connecterentur fideles. Sed ad rem.

D. Aug. tract. 32. in Ioan.

V. Eodem spiritu ductus D. Augustinus idem nobis ingeminat argumentum. *Ecclesia est corpus Christi* (inquiens,) *in hoc corpore membrum es: cum ergò membrum sis eius corporis, quod loquitur omnibus linguis, crede te loqui omnibus linguis &c.* Et paulò inferius: *Oculus solus videt in corpore, sed numquid*

quid sibi soli oculus videt? & manui videt, & pedi videt, & cæteris mēbris videt: non enim si aliquis ictus in pedem veniat, auertet se, vt non præcaueat, &c. Imò oculus videt vt gubernetur corpus, pedes portant, manus operantur, stomachus digerit, caput intelligit & regit, cor desiderat, &c. Et omnia hæc in communi, vt omnibus & singulis membris proficua fiant. Nec dissimilis in mystico hoc Christi corpore mēbrorū correspondentia. Veluti enim in corpore humano mēbrū vnumquodque suum alteri eiusdem corporis membro præstat obsequiū, imò (vt ita dicam) fraternam dilectionem externis quibusdam, ac de eorundem salute solicitis actionibus ad inuicem testantur: ita & in mystico hoc Christi corpore Ecclesiâ mutua est correspondentia, imò mutua solicitudo. Quid dico solicitudo? mutua (inquam) influentia spiritualis operum bonorum ab vno eiusdem membro in aliud, ita vt verè verùm, & quasi proprium corpus dici poterit.

Et

Et exinde est, quod D. Paulus suam totius corporis solicitudinem testatam reliquerit, cum dicat: *Præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* Ac si sensibili quadam corporis, & animi affectione aliorum Ecclesiæ mébrorum malis compateretur: tanto se communionis huius sacræ vinculo sentiebat alligatum.

2. Cor. 11. 28.

§. 2.

Ecclesiæ Triumphantis ad militantem Communio.

1. Descendamus modò à generali hac vniuersalis Ecclesiæ communione ad particulares Triumphantis, Militantis, & Patientis correspondentias, mutuasque earúdem assistentias. Et primò de Triúphantis

phantis intelligentiâ, solicitudine, curâ factorum, & faciendorũ in Militante, precibus, intercessionibus, & patrocinio pro eâdem pauca videamus. Et quidem probatu facilia sunt isthæc omnia.

II. Nam primò, *Expectabo*, inquit David, *nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu Sanctorum tuorum.* Ergò Sancti, qui in cælo triumphant, gaudent de spe huius membri Militantis Ecclesiæ Dauid. Atque iterũ: si verum est, quòd Sancti adeò perfectè spem Dauid (quid ni & meam?) quæ quidem internus animi actus est, videant, vt de illâ gaudeant & congratulentur, multò certè faciliùs fidem meam coram Iudicibus, Præsidibus, & Regibus publicâ cõfessione testatam, persecutionibus multis carcerum, verberum, vinculorum, sanguinisque effusione, & morte ipsâ confirmatã: nec non & charitatem meam largis eleëmosynis effusam, piis officijs multoties aliis intimatã, & zelosis, ardentibusque orationibus profusam; omnesque

Psal. 51. vers. vlt.

nesque alias virtutum actiones ad extrâ operatas, & ad ipsorũ Deique honorem propalatas mundo non cognoscunt modô, sed & curiosé contemplantur, vt quo perfectiores videant actus, eo maiori lætentur gaudio. Et hoc ipsum videntur illa Iesu Christi verba testari, quibus ait: *Dico vobis, quod ita gaudium erit in cælo super vno peccatore pænitentiam agente, &c.* Patet ergò beatas illas cæli animas mutuum nobiscum habere commercium, scire scilicet res nostras, & de bono nostro gaudere, & congratulari.

Luc.15.7

III. Elias curru igneo in cœlũ raptus est, regni Iosaphat Regis Iudæ anno circiter decimo octauo: Ioram eius filius ad regni solium euectus in multis offendit grauiter: fratres occidit, excelsa ædificauit, populũque ad Idololatriã incitauit: vndè infrâ sextum vel septimum eius regni annũ, quasi tredecim annis ab Eliæ raptu, *Allatæ sunt ei literæ ab Eliá Prophetâ, in quibus scriptum erat: Hæc dicit* Dominus *Deus* Dauid

4. Reg. 2. 11. 4. Reg. 3. 1. 2. Paral. 21. 1. &c.

Ibid. vers. 12.

David Patris tui: quoniam non ambulasti in vijs Iosaphat Patris tui, & in vijs Asa Regis Iuda, sed incessisti per iter Regum Israel, & fornicare fecisti Iudam & habitatores Hierusalem, imitatus fornicationem domus Achab: insuper & fratres tuos domum patris tui, meliores te, occidisti: ecce Dominus percutiet te plagâ magnâ, cum populo tuo, & filijs, & vxoribus tuis, vniuersâque substantiâ tuâ. Tu autem ægrotabis pessimo languore vteri tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies. Quæ omnia ei infrâ duos acciderunt annos. Ex quibus Eliæ litteris hæc necessariò sequentur corollaria. Primò; Eliam, licet in cælos raptum, nouisse quid in suâ patriâ, quid in hâc Militante Ecclesiâ tam à Ioram, quam à populo factum fuerat: quis eiusdem status: & quid malefactori pessimo, totique suę familię futurũ erat. Imò nouit de *Asa*, de *Iosaphat*, de *Achab*, de *regibus Israel*, de *fratribus Ioram*, de *vniuerso populo Iudæ, & habitatoribus Hierusalem*. Deinde secundò, multum do-

Ibid. vers. 19.

luisse

luisse Eliam iniquum illum Ioram regem *fornicari fecisse Iudam, & habitatores Hierusalem, & fratres occidisse.* Et denique tertiò, solicitè curam egisse Eliam de bono spirituali populi sui, & Ecclesiæ hic in terrâ militantis, &c. Quæ omnia communionem inter illum, è mundo licet abstractum, & in cælum leuatum, & Ecclesiá hic in terris adhuc agentem apertissimè confirmant.

IV. Simile quid de Samuele dici potest, qui etiãnũ mortuus Saulem taniẽ nouit, & reprehendit; & multa breui licet sermone, cum eo collocutus est: *Dominus*, inquit, *recessit à te, & transijt ad æmulum tuum:* Deinde meminit prophetiæ prius illi à se factæ. *Faciet tibi Domin⁹; sicut locutus est in manu meâ.* Posteà: *Scindet regnum tuum de manu tuâ, & dabit illud proximo tuo Dauid.* Et reddit rationem: *Quia non obedisti voci Domini, neque fecisti iram furoris eius in Amalec: idcircò quod pateris fecit tibi Dominus hodiè.* Et etiamnum mortuus *notum fecit Regi, & ostendit illi finem*

1. Reg. 28. 15. &c.

nem vitæ suæ, & exaltauit, vocem suam de terrá in prophetiá delere impietatem gentis, vti affirmat Ecclesiasticus: & ideò addidit tam de Saule, quàm de eiusdem filijs, & vniuerso populo. *Et dabit Dominus etiam Israel tecum, in manus Philisthijm: cras autem tu, & filij tui mecum eritis, sed & castra Israel tradet Dominus in manus Philisthijm.* Multa hic pro nobis materia, quia multa Samuelis rerum huius mundi notitia, multa cura. Imò & hoc non parum causæ nostræ addit, quod Saul verè diebus illis credidit, animas separatas realiter cognoscere quid in mundo agatur: quodque verè poterat Samuel, & (vti sperabat) vellet, illum quid sibi facto opus esse informare: in vanum aliàs tanto animi desiderio illum alloqui exoptasset. Vndequaque ergò patet cura, communicatio, & aliquando confabulatio fœlicium illorum Ecclesię Triumphantis incolarum cum Militantis huius Ecclesiæ pijs membris. Num hic verus fuerit ille Samuel, necne, vide infrà §. 4. n. 4.

Eccl. 46. 23.

Baruc. 3. 4. V. Quod dicit Baruch Propheta, nimirum, *Domine omnipotens Deus Israel, audi nunc orationem mortuorum Israel, & filiorum ipsorum, qui peccauerunt ante te.* Clarum est, nec deductione eget.

2. Machab. 15. ỿ. 12. VI. Quid memorē Oniām (qui fuerat Sūmus sacerdos) multo antè id tēpore vitâ functūm, *manus protendentem orare pro omni populo Iudæorum?* Quid *Hieremiam ætate, & gloriâ mirabilem* annis multis iam mortuum, de quo Onias: *Hic est fratrum amator, & populi Israel; hic est qui multum orat pro populo, & vniuersâ sãctâ ciuitate, Hieremias Propheta Dei.* ibid. ỿ. 13. Nec prætereundum *extendiße Hieremiam dextram, & dediße Iudæ gladium aureum, dicentem: Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo deijcies aduersarios populi mei Israel.* ibid. ỿ. 15. Multa certè hic cura Oniæ, & Hieremiæ pro militante Ecclesiâ, quum tantas fundāt pro eâdem preces, adeòque solicitè ducem populi gladio donent victorioso.

Mat. 17. 3. Luc. 9. 31. VII Transfigurato Domino super montem Thabor, *Apparuerunt illis*

Moyses

Moyses, & Elias cum eo loquentes; & dicebant excessum eius, quem completurus erat in Hierusalem. Quid illis cum excessu Christi, cum sint alterius seculi incolæ? Quid nō de Trinitate, de æternâ Filij generatione, Spiritusque sancti processione irē æternâ, de beatitudine semper felici de Henoch, de Patriarchis, de Lymbo, de Paradiso, & reliquis sibi notis, quorū vsum, quotidianumque exercitium præ manibus semper habent? illa enim intra sphæram suæ actiuitatis sunt, nostra non item. Quid ergô nostra curant? Hoc certè, vt cognoscamus, & agnoscamus, Sanctos sicuti de nostris quondam erant, ita de nostris solicitos esse, & anxios, *donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei*. Ita enim D. Lucæ locū explicat Melancthon VIII. *Diues ille, qui prius induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè; & postea, sepultus est in inferno. Rogo te, ait, Pater Abraham, vt mittas eum* (Lazarum) *in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, vt te-*

Ephes. 4. 13

Melancthon in locis cō. Manlij fol 151.

Luc. 16. 19.

ftetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abraham: *Habent Moysen & Prophetas, audiant illos.* Vndè (quæso te) notitia diuiti damnato, quod sibi fuerint fratres in mundo? forte illorum quidam mortui tunc erāt, & in sinum Abrahæ deportati. Aut vndè cura illi saluandorum fratrum, si verum sit defunctorum animas nihil nobiscum habere commercij? preces fudit pro fratribus, etiam secundò repetitas damnatus; & similes pro nobis fundere preces denegemus Sanctos Dei? Aut qui nouit Abraham eosdem diuitis fratres habuisse *Moysen & prophetas, quos audire possint*; cum forte potuissent in longissimè ab ijsdem dissitis vixisse regionibus; & maximè cum suis temporibus, dum adhuc in viuis ageret, de prophetis vix quicquam nosceretur, & de Moyse certè nè nomen quidem audiebatur; annis enim quadringentis penè ante Moysis natiuitatem vita functus est Abraham. At nouit vtreque istæc, & eorum curam egit

vterque.

vterque. Stat ergò inuiolabilis sententia, sanctas defunctorũ animas nostra & scire, & curare; nisi velimus plus charitatis damnato Diuiti, quã fœlici Abrahæ assignare. Quod quam absurdum sit quisque videt.

IX. *Dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis.* Euidentissimum hoc; & quid contradici poterit, non video. 2. Pet. 1. 15.

X. Dum in cruce pendens animam Patri Christus resignaret, *multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.* Ad quid, amabò? vt terrori sint amicis? haud equidem crederem. At potius *vt dominum ostenderent resurgentem*, vt D. asserit Hieronymus; *& ad credulitatem resurrectionis animarum ex inferis animos moueant*, D. ait Augustinus. Et è consequenti, vt fratres suos in hâc Militanti adhuc laborantes Ecclesiâ animarent, ad Christum pro Messiâ & Mat. 27. 52. Hieron. in hunc locum Mat. Aug. lib. 3. de mirabilibus Sacræ Script. c. 43.

& Redemptore optimo agnoſcendum, & acceptandũ. Adeòque etiam ex hinc liquet Triumphantis & Militantis Eccleſiarum commercium.

Apoc. 8. 5. XI. *Alius Angelus venit, & ſtetit ante altare habens thuribulum aureum: & data ſunt illi incenſa multa, vt daret de orationibus Sanctorum omnium ſuper altare aureum, quòd eſt ante thronum Dei. Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Et ſimilia quædam habentur paulo anteà, ſcilicet, *Quatuor animalia, &* Apoc. 5. 8. *viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram Agno, habentes ſinguli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum.* Equidem iſtæ orationes Sanctorum non erant pro ſeipſis profuſæ; nullo enim indigent, quod petant, cum ſint in omnis boni poſſeſſione immutabili: nec pro damnatis in inferno, cum in nullo adiuuari poterint, quià omni torquentur malo ſine redemptione. Erant idcircò pro illis Eccleſię membris, quæ multis indigent, in eiſdemque ſubleuari

nari poterunt, fuerint Militantis in hâc vitâ, vel Patientis in Purgatorio, vel vtriusque: nec multum interest, quid horum concedatur; vnum autem cedi necessum est. Et expressè additur in priori textu *Sanctorum omnium*, vt generalis sciatur eorum esse charitas, vtque omnis excludatur in contrarium materies exceptionis.

XII. Quid plura? Argumentorũ hâc in re copiosa satis est congeries: quicquid enim allegari poterit quod Sancti orent, precesue fundere pro nobis possent, vel etiam quod nobis Deus aliqua contulerit beneficia ipsorum intuitu; vel item quod possimus ipsos deprecari, vel honorare in personis, reliquijs, & altaribus, &c. vt infrà §. 4. æquè probant hanc Triumphantis, Militantisque Ecclesiarum participationem, rerumque communioné. Qui isthæc desiderant, videant quæ in (a) margine hîc sunt apposita. Quicquid etiam curę & solicitudinis, vel protectionis Angeli de nobis habent, id totum pro communione hâc

(a) Gen. 26. ℣. 5. & 24. †. 48 ℣. 16. ‡ Exod. 32 ℣. 13. ‡. 3. Reg. 11. ℣ 12. ‡. 15. ℣. 4 ‡ 4. Reg. 8. ℣. 19: †. 13. ℣. 23. ‡. 19. ℣. 34. ‡ 20. ℣. 6. ‡. Psalm. 131. ℣. 10. ‡. Isa. 37 ℣. 35. ‡. H[illegible] 15. ℣. ‡. 15. ℣. ‡. Apoc. 2. 2.

b Gen. 19. ℣. 1. Iosue. 5. ℣. 15. Tobiæ. 12. ℣. 12. Dan. 10. ℣. 12. Zach. 1. ℣. 12. Mat. 18. ℣. 10. Act. 5. ℣. 19. & 12. ℣. 7. Hebr. 1. ℣. 14. Apoc. 2. ℣. 1.

militat: sunt enim & illi beati spiritus Triumphantis illius Ecclesiæ cælestis felicia membra: Imò quicquid honoris (testibus Scripturis) eisdem tribui à nobis poterit, etiam causam nostram clarè probat. Vndè videri poterunt (b) marginalia: præter alia multa, quæ breuitatis causâ prætereunda censeo.

XIII. Patres adeò in hâc re copiosi sunt, vt verear equidem eosdem proferre, nè quosdam allegans euidentiores prętermittam. Duos vel tres tantum hic subiungam, vt in *ore duorum vel trium testium stet omne verbum.* Magnus illic, in cælo scilicet (inquit D. Cyprianus) *nos charorum numerus expectat, Parentum, fratrum, filiorum: frequens nos & copiosa turba desiderat, iam de suâ immortalitate secura, & adhuc de nostrâ salute solicita: ad horum conspectum & complexum venire, quanta & illis, & nobis in communi lætitia est?* Hæc ille, quo clarius nihil; dum solicitos illos de nostrâ salute affirmet: & certè *communis illa lætitia* communionem, & comparticipationem intimam

Matth. 28. ℣. 16.

D. Cyp. serm. de mortalitate.

timam insinuat.

XIV. Hi (quadraginta Martyres) *sunt, qui nostram regionem administrant, & velut turres quædam cohærentes securitatem ab hostium incursu exhibent,* (inquit D. Basilius). En protectionem.

D. Basil. ho. 20. in quadraginta Martyres.

XV. Eandem item protectionem affirmat D. Chrysostomus. *Nam & ipse* (inquit) *qui purpuram indutus est, accedit illa complexurus sepulchra, & fastu deposito stat Sanctis supplicaturus, vt pro se apud Deum intercedant: & scenarum fabrum, & piscatorem, etiam mortuos, vt protectores orat, qui diademate redimitus incedit. Audebis igitur, quæso, horum Dominum nuncupare mortuum, cuius serui, vel mortui, terrarum orbis Regum sunt protectores? Nec hoc tantum quis Romæ fieri viderit, verum & Constantinopoli. Nam & hic Constantinum magnum, &c.*

D Chryſost. ho. 66 ad populū Antiochen. to. 5.

XVI. Et Theodoretus de Martyribus loquens: *hi,* inquit, *sunt hominum duces, principes, propugnatores, custodes, per quos à nobis infortunia auertuntur, proculque arcentur, quæ à dæmonibus*

Theodoret. Cyren. de Græcarū affectionū curatione lib. 8. qui est de Martyribus.

bus inferuntur mala.

D. Amb. in ca. 21. Lucæ.

XVII. *Mortuis Regibus* (inquit D. Ambrosius) *in perpetuum Martyres regnum cælestis gratiæ honore succedunt; & illi fiunt supplices, hi patroni.*

D. Aug. qu. 108. in Exod.

XVIII. Et D. Augustinus de pellibus Arietinis rubricatis sermonem faciens, *significantur*, ait, *his etiam Martyres Sancti, quorum orationibus propitiatur Deus peccatis populi sui.* Sufficiant hi. Quod si adhuc plures desideret quis, hos reuoluat, & plenissimam hâc in materiâ capiet satisfactionem.

XIX. Videat ergô Origenem lib: 8. contrà Celsum, & hom. 26. in Numeros, & alibi sæpè.

S. Ephrem lib. de compunctione cordis cap. vlt. & Encomio priori in omnes Martyres, & aliâs.

D. Basilium hom. 26. de Mart. Mammante, & in Liturgiâ.

D. Gregorium. Nazian. oratione funeb. 19 de Patre: & orat. 20. in laudem Basilij, &c.

D. Chrysost. ser. in Iuuentium, &

Max:

Maximum Mart.

Prudentium lib. περὶ σ φιᾶον, siue de coronis, hymnis. 1. 2. 3. 5. 9. 10. 11. 13. 14. & alibi sæpè.

D. Ambros. lib. de viduis: Orat. de fide resurrectionis in fine. Epist. 85. ad sororem de inuentione corporum SS. Geruasij & Protasij: & serm. in natali SS. Nazarij & Celsi.

D. Aug. lib. de curâ pro mortuis, cap. 15. & 16. & alibi quam sæpissimè.

D. Hieronymum contrâ Vigilantium, cap. 2. & 3. & in Epitaphio Paulæ: ad Eustochium epist. c. 14. & epist. 25. ad Paulam. c. 6.

XX. Prætereo multos qui luculenter satis hanc nobis veritatem suâ authoritate cõfirmatam reliquerunt. Imò verò omnes illos prætermitto sponte, qui affirmant Sanctos inuocandos, quos tamen §. 4. afferendos puto. Et quicquid de honore Sanctis quocunque modo exhibendo, aut de Angelorum tutelâ, & patrocinio dictum reliquere Patres, lubens subticeo: licet & hæc omnia fidem nostram

hac

hâc in materiâ maximoperè astruant. Videat curiosus lector Bellarminum, Coccium, Canisij Catechismum magnum, aut quemuis alium de Sanctis, & eorum veneratione disputantem; & satisfiet expectationi.

§. 3.

Ecclesiæ Triumphantis ad Patientem, Communio.

I. IN ingressu huius §. aduertat lector, meum non esse hoc in loco ex professo probare Purgatorium existere; aut alias eiusdem circumstantias, hâc solum de eiusdem animarum communione in Ecclesiâ exceptâ. Vnde eam controuersiam extrà cõtrouersiam esse præsuppono: & de fide indubiè credendum, & talem locum esse in rerum naturâ, & tales ibidem purgari animas. Quod si fortè ex vi authoritatum pro hâc eiusdem cõmunione eliciatur, etiam principale eiusdem

eiusdem controuersiæ fundamentum, nec erit mirum, nec malum, licet fortè præter intentum. Hîc ergò petitur, vt supponat lector Purgatorium, aliâs fortè quam euidentissimè probandum existere. Quo dato ità rem nostram probo.

II. Cum gloriosi in cælis Sancti tantâ solicitudine res fratrum suorũ, adhuc in mundo degentium adeòque longè à peregrinationis suæ fine dissitorum, curent, & protectione sacrâ defendant, gubernentque: quænam ratio euincere potest, eosdem Dei Sanctos itâ oblitos omninò fratrum suorum in purgantibus flammis misere exustorum, vt non multò solicitiùs adiuuent quos nouerint, imò viderint, ingentibus multatos pœnis, multo-maximam tamen peregrinationis suæ partem peregisse: & iam quasi optato coronatos fine; inque proximo in illâ beatitudinis æternæ societate perpetuâ tanquam fratres amantissimos, & cohæredes gloriosissimos, consociandos secum? præsertim

ſertim cum non minorem pro illis quam pro nobis habeant charitatem: *ſi ſecuri de ſuâ, ſoliciti ſunt de ſalute noſtrâ*; quid vetat, quin & pro ipſorum ſalute aliquam item habeant ſolicitudinem? Dicamus ergô, & affirmemus cũ D. Bernardo ſancto illo Monacho de omnibus Sanctis, quod ille de vno dixit, Sancto Victore; & licet ille S. Victoris charitatem ad nos verſus in cælis auctam affirmet, non abſonum erit, eandem ergâ fratres etiam in flammis purgabilibus detentos auctam item aſſeuerare: Dum enim hic viuentes pro fratribus mortuis satagebant, non videtur equidem credibile, quod eorum perdiderint dum in cælis ſint memoriã, charitatêque ergâ illos exuerint, ſed auxerint potiùs. *Sedent ergô veterani milites in cælis debitâ iam ſuauitate, & ſecuritate quieti: ſecuri quidem ſibi, ſed eorum ſoliciti: non enim cum putredine carnis ſimul ſe exuerunt viſceribus pietatis: nec ſibi ſic induerunt ſtolas gloriæ, vt eorum pariter miſeriæ, ſuæque ipſius miſericordiæ obliuionem induerent.*

D. Bern. Serm. 2 de S. Victore

ducerent. Non est terra obliuionis quam animæ Sanctorum inhabitant, non terra laboris, vt occupentur in eâ: non denique terra, sed cælum est. Nunquid cælestis habitatio, animas quas admittit, indurat; aut memoriâ priuat, aut spoliat pietate? Fratres, *latitudo cæli dilatat corda, non artat: exhilarat mentes, non alienat: affectiones non contrahit, sed extendit. In lumine Dei serenatur memoria, non obscuratur: in lumine Dei discitur, quod nescitur; non quod scitur, dediscitur.* Multa habet adhuc ibidem in eum sensum. Certum ergò est, quod qui in terris viuens fratrum in Purgatorio miserebatur, modò in cælis existens multò magis eorumdem reminiscetur, & compatietur, solatiumque quantum in se est, suppeditabit.

III. Et beati illi spiritus Angelici; *qui administratorij sūt spiritus in ministerium missi*; ad agendum apud Deum res mundi, easdemque protegendas & gubernandas deputati; quorum curæ magna pars est salus hominum; & ideò *gaudent super vno peccatore pœnitentiam*

Heb. 1. ℣. 14.

Luc. 15. ℣. 10.

tentiam agente: & præsertim illi beati Angeli custodes, quorum curæ & protectioni illæ (quæ modò in emendatorio igne purgantur animæ) in primo natiuitasis suæ instante committebantur, proculdubio etiã nunc officiũ, & curã commissã prosequuntur, nec desistent vsque dum ad finem perfectum, & vltimam peregrinationis suę metam, & fœlicitatis coronam perduxerint æternæ. Est ergò pars non parua commissi sibi officij miseris illis animis suæ curæ demandatis æquè, imò magis in Purgatorio subuenire, & maiori solicitudine assistere, quam in mundo degentibus; cum in Militanti hâc Ecclesiâ poterit se quisque meritorijs suis actionibus aliquantulum adiuuare, in illo autem purgationis loco nil meretur ipsa patientia, quæ sola inibi exigitur ad ferendum, non merendum. Miserum ergô esset, & dolendum valdè, si dum eousque animas conduxerint Angeli, quasi in limine cæli flammis purgandas, &

das, & miserè torquendas, incuriùs omninò derelinquerent, & omni ope & subsidio destitutas; solis supplicijs mancipatas obliuiscantur. *Credat Iudæus apella.* Ego veriùs dicam: quod nimio honore Dei sui pręcepta venerantur custodes illi Angeli, nimiâ charitate satagunt summo placere bono, nimiâ affectione zelantur humanę salutis perfectionem, quàm vt opus imperfectum in commissæ sibi animę peregrinatione iam iam finiendâ deserant, aut negligant aliquandò. Nec vlla vnquam poterit in contrarium ratio assignari: de Scripturis autem sacris omninò nihil afferri potest, quod contradicat. In confirmationem verò omnes illi sacrarum literarum textus, qui pro generali Ecclesiæ cōmunione allegari poterunt, æquè etiam militant ad huius particularis positionis confirmationem: sunt enim purgantes animæ Ecclesiæ vniuersalis membra viuida, ideòque sacræ communionis vniuersalis etiam participes omninò.

Horatius.

C. IV. Illud

IV. Illud etiam certum est, & de fide, quià Scripturis sacris apertissimè probatum, defunctorum animas se internoscere, & de bonis & malis suis notitiā particularem habere; vt patet ex Diuite & Abrahamo, qui se inuicem, & Lazarum agnouêre. Dum *videns Lazarū in sinu Abrahæ, è tormētis* clamauerat Diues: *Pater Abrahā miserere mei, & mitte Lazarū, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam: quià crucior in hac flammā:* Nec minus patet eadem veritas ex ipsius Abrahæ responso. *Fili* (inquit Abraham) *recordare, quia recepisti bona in vitā tuā, & Lazarus similiter mala: nunc verò hic consolatur, tu verò cruciaris.* Quid euidentius desiderari poterit? Et sapiens: *Stabunt*, inquit, *iusti in magnā constantiā aduersus eos, qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum:* & è contrario: *Iniusti videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intrà se, & pænitentiam agentes, & præ angustiā spiritus gementes: Hi sunt quos aliquando habuimus in deri-*

Luc. 16. ℣. 24.

Sap. 5. 1.

sum, &c. Ecce *quomodò computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorũ est*, &c. & pro Epiphonemate: *Talia dixerunt in inferno hi qui peccauerunt.* En iustos contrà persecutores suos, quos nouerunt damnatos, sic opponere constanter: En damnatos videntes, & inuidentes gloriæ inæstimabili Sanctorum, quos in hoc mundo persecuti sunt, *vitam illorum æstimantes insaniam, & finem sine honore.* Luculentissimum item est illud Oniæ mortui testimonium, qui Iudæ Machabæo dixit: *Hic est fratrum amator, & populi Israel: hic est, qui multum orat pro populo, & vniuersa S. ciuitate Hieremias Propheta Dei.* Certissima ergò est illa sentẽtia, animas separatas se inuicem internoscere, & de gloria & miseriis aliorum certificatas esse, & informatas. Ex quibus illa necessariò inferetur regula, quod Sancti illi omni charitatis plenitudine in cælesti gloriâ ferueuntes, dum viderint (fortè) patres, & matres, & filios, & fratres (saltẽ in Christo, & futuros fratres in

2. Mach. 15. 14.

 cælo)

cælo) miserabiliter flammis torqueri, procul dubio compatientur afflictionis eorum, & meliori, quo potuerint modo ipsorum solatio satagent, & consolabuntur.

Aug. lib. de cura pro mortuis c. 1.

V. At verò, *Etsi* (vti D. ait Augustinus in alio parili casu) *nusquam in scripturis veteribus omninò legeretur, non parua tamen est vniuersæ Ecclesiæ, quæ in hâc consuetudine claret, authoritas*:

Aug. Epist. 118. ad Ianuar. ca. 5.

Et alibi: *si quid horum*, inquit, *tota per orbem frequentat Ecclesia: nam & hinc quin itâ faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est*. Et similia habet

Aug. lib. contra Crescon. cap. 33.

contrâ Cresconium. Adeô certa & infallibilis apud eum semper fuit Ecclesiæ sanctæ authoritas, & consuetudo. Et ideô pro huius rei veritate, quod à Sanctis & Angelis Dei piæ defunctorum in igne purgantes animæ adiuuentur, & subsidij multum recipiant, non erit absonum, eius secuti exemplum, videre qualia primitiuæ Ecclesię, & quanta antiqui Patres nobis testimonia suppeditabunt.

VI. Et primò, D. ipse Augustinus lucu-

luculentus satis nobis testis erit. Ait enim: *Prouisus sepeliendis corporibus apud memoriam Sanctorum locus, &c.* & post duas, tresue lineas: *Sed non video, quæ sint adiumenta mortuorum: nisi ad hoc, vt dum recolunt* (viui amici) *vbi sint posita eorum, quos diligunt, corpora, ijsdem Sanctis illos tanquam Patronis susceptos, apud* Dominum *adiuuandos orando commendent. Quòd quidem facere possent, etiamsi talibus locis eos humare non possent.* Et post pauca. *Cum ergò recolit animus vbi sepultũ sit charißimi corpus, & occurrit locus nomine* Martyris *venerabilis, eidẽ Martyri animã dilectã recõmendat recordantis, & precantis affectus; qui cum defunctis à fidelibus charißimis exhibetur, cum prodeße non dubium est ijs, qui cum in corpore viuerent talia sibi post hanc vitam prodeſſe meruerunt, &c.* Et similia habet huius libri cap. 1. Patroni ergò sunt Sancti in cælis adiuuantes apud Dominum animas defunctorum. Et ex illo verbo, *prouisus,* non solum videtur praxin fuiſſe totius Ecclesiæ, sed etiam ante sua tempora

Aug. in lib. de cura pro mortuis, cap. 4.

statutum fuisse aliquod in Ecclesiâ in eum effectum. Quæ omnia nostram de communione probant sententiam quam efficacissimè.

S. Max. Tau. in natali SS. Octauij, Aduentitij, & Solutor Mart.

VII. S. Maximus Taurinensis antè mille ducentos annos ità scriptum reliquit: *Cuncti Martyres deuotissimè percolendi sunt: sed specialiter ij venerandi sunt à nobis, quorum reliquias possidemus.* Et hanc reddit rationem: *Illi enim nos orationibus adiuuant, isti etiam adiuuant passione: cum his autem nobis familiaritas est; semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur: hoc est, & in corpore nos viuentes custodiunt, & de corpore recedentes excipiunt: hic ne peccatorum nos labes assumat, ibi ne inferni horror inuadat. Nam ideò hoc à maioribus prouisum est, vt Sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, vt dum illos tartarus metuit, nos pœna non tagat: dū illos Christus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum Sanctis ergò Martyribus quiescentes, euadimus inferni tenebras eorum proprijs meritis, attamen consocij sanctitate.* Hæc ille, quo clarius nihil, Sanctos Dei mortuis in fi-

de, gratiâque diuinâ patrocinari. Et *à maioribus prouisum* hoc ait, quasi ante sua tempora Ecclesiæ praxis fuerat, vt antiquitatem rei nobis augeat, & fidem.

VIII. Nec dissimilis est ille D. Augustini locus, quo respondet Paulini Episcopi quæsito, & sententiæ; *Vtrum* scilicet *prosit cuique post mortem, quod corpus eius apud Sancti alicuius memoriam sepelitur. Dicis*, inquit, *videri tibi non esse inanes motus animorum religiosorum, atque fidelium pro suis ista curantium. Adiungis etiam vacare non posse, quod vniuersa pro defunctis Ecclesia supplicare consueuit; vt hinc & illud conijci possit, homini prodesse post mortem, si fide suorum humando eius corpori talis prouideatur locus, in quo appareat opitulatio etiam isto modo quæsita Sanctorum.* Et in solutione infrà: *Cedit benè, quod aliquid adiuuent ista defunctos; ac per hoc secundum ea quæ per corpus gesserunt.* Vtpote illis adiumento sunt, qui in medio moriuntur statu; nec

Aug. lib. de cura pro mortuis. c. 1. & lib. de octo Dulcitij quæstionibus, quæst. 2.

nandi in perpetuum, nec in cæli gloriâ statim collocandi; istis enim omnibus nil talia prodesse poterunt: tertijs ergô aliquibus, qui & indigent, & quibus opitulari poterunt, & hoc meruerunt in hâc vitâ: hæc summa responsi. Ex quibus clarum est, etiam duorum istorum testimonio, purgantibus animis Sanctorum in cælis regnantium patrocinia opitulari posse.

S. Ephrẽ in Orat. ad Beatam Virginem.

9. Sanctus Ephrem, *Adesto* inquit, *mihi nunc, & semper Virgo Dei genitrix*, &c. *In extremo vitæ articulo miseram animam meam conseruans, & tenebrosos atque horrendos pessimorum dæmonum aspectus ab eâ procul repellens; in tremendo autem die iudicij ab æternâ me damnatione liberans, & postremò in numerum iustorum me referens, atque inaccessæ tui filij, & Dei gloriæ me hæredem efficiens.* Et in lamentatione Virginis propè Crucem hæc habet: *Esto nostra conciliatrix, & aduocata in horâ iudicij, libera nos à futuro igne, & tenebris; & tui filij gloriâ Virgo nos dignare.* Ergô se inuicem

se inuicem adiuuant animæ à corporibus separatæ, quod nostrum probat propositum; Cum enim Sancti non indigeant adiumento, & damnati sint omnis auxilij incapaces; reliquũ est, vt adiuuentur tertiæ aliquæ animæ, quæ *à futuro igne, & tenebris liberentur, & in numerum iustorum referantur.*

X. Iustinus Martyr his omnibus prior hæc habet: *Omnes Angeli, & qui præsunt, et qui parent munus necessarium, et in cœlis, et in terrâ, hominum causâ exequuntur; qui autem id negotij ac muneris acceperunt, vt custodes hominum sint, & comites eorum, semper augetur, nunquam diminuitur. Aut enim vtrumque comitantur, animam dico et corpus, aut certe animam comitantur, post discessum animi à corpore vsque ad tempus renouationis.* Patet ergò Angelorum ministerium animis separatis, vsque dum certè eorum ampliùs non indigeant adiumento, Martyris huius testimonio.

Iustinus quæst. 39.

11. Qui Bedæ Venerabilis historiam

riam Ecclesiasticam legerit, multum certè hâc pro re testimonium indè hauriri posse probè nouit. De Beato enim Fursæo scribens hæc habet: *Beatus Fursæus dicit tertiò rursum eductus, vidit non solum maiora Beatorum gaudia, sed & maxima malignorum spirituum certamina, qui crebris accusationibus, improbi, iter illi cæleste intercludere contendebant: nec tamen protegentibus eum Angelis quidquam proficiebant.* Et addit immediatè: *De quibus omnibus, si quis plenius scire vult, id est, quanta fraudis solertia dæmones & actus eius, & verba superflua, & ipsas etiam cogitationes, quasi in libro descriptas replicauerint: quæ ab Angelis, Sanctisque, ac viris iustis sibi inter Angelos apparentibus læta vel tristia cognouerit, legat ipsum de quo dixi libellum vitæ eius, & multum ex illo (vt reor) profectus spiritualis accipiet.* Et paulò inferiùs: *Tunc vidit vnum de tribus Angelis, qui sibi in tota vtráque visione ductores affuerunt, præcedentem ignis flammas diuidere, & duos ab vtroque latere circumvolantes ab ignium se periculo*

Vener. Beda li. 3. historiæ Ang. ca. 9.

riculo defendere: vidit autem & dæmones per ignem volantes, incendia bellorum contra iustos struere; sequuntur aduersus ipsum accusationes malignorum; defensiones spirituum bonorum; copiosior cælestium agminum visio; sed & virorum de sua natione Scotorum, quos olim Sacerdotali gradu non ignobiliter positos, fama iam vulgante, comperterat: à quibus non pauca, quæ vel ipsi, vel omnibus qui audire vellent, multum salubria essent, audiuit. Qui cum verba finissent, & cum Angelicis spiritibus ipsi quoque ad cælos redirent, remanserunt, &c. Et tandem: *Sed vir Dei vbi ad patefactam vsque inter flammas ianuam peruenit, accipientes immundi spiritus vnum de ijs, quos in ignibus torrebant, iactauerunt in eum, & contingentes humerum, maxillamque eius incenderunt. Cognouitque hominem, & quod vestimentum eius morientis acceperit, ad memoriam reduxit: quem Angelus statim apprehendens in ignem reiecit. Dicebatque hostis malignus, nolite repellere, quem ante suscepistis.*

susceperisti. Nã sicut bona eius peccatoris suscepistis, ità et de pœnis eius participes esse debetis. Contradicens Angelus, *non, inquit, hoc propter auaritiam, sed propter saluandam eius animam suscepit. Cessauitque ignis. Et conuersus ad eum Angelus: quod incendisti, inquit, hoc arsit in te. Si enim huius viri, in peccatis suis mortui, pecuniam non accepisses, nec pœna eius in te arderet. Et plura loquutus, quid ergà salutem eorum, qui pœniterent, esset agendum salubri sermone edocuit. Qui postmodum in corpore restitutus, omni vitæ suæ tempore signum incendij, quod in animâ pertulit, visibile cunctis in humero, maxillâque portauit: mirumque in modum, quod anima in occulto passa sit caro palam præmonstrabat.* Hæc ille, cuius scripta tantæ per orbem habebantur authoritatis, vt etiam ipso adhuc superstite, publicè in Ecclesijs legerentur: quibus cum Sancti titulum illo adhuc in viuis præfigere lectores de iure non possent, *Venerabilis* nomen apposuerunt: quod etiamnum in hũc vsque retinet diem:

huius

huius ergô tantæ authoritatis viri præclarum, & amplissimum est hoc testimonium, vndè multa desumenda essent argumenta pro cõmunione Triũphantis ad Patientem, tam in Angelis quam Sanctis, nisi quod itâ clareant, vt cuilibet (parum licet perspicaci) ipsâ solum lectione se ingerant potiùs, quam quærantur, aut inuestigentur.

XII. Ideòque si vniuersalis Christi Ecclesiæ membra sint purgantes animæ, vti equidem crediderim neminem negaturum: si *mortuis opitulentur, & patrocinentur Sancti*, vti DD. Augustinus, & Paulinus asseuerant: *si è corpore recedentes excipiunt, nè inferni horror eos inuadat*: si eorum causâ *eos pæna non tangat, ab eisque tenebrarum caligo diffugiat*: si *euadant inferni tenebras eorum proprijs meritis*, vt D. Maximus affirmat: si in emendatorio illo igne tribulatas visitent, & consolentur animas, vt Venerabilis Beda refert: si Angeli animas suæ curæ commissas in purgantibus illis flammis defen-
dant

dant tam in causâ quã de pænâ, vt idē Beda Venerabilis : imò si sequantur & *comitentur animam, post discessum animæ à corpore, vsque ad tempus renouationis* : sicut Iustinus Martyr disertis affirmat verbis; atque etiam si est charitas in Sanctis ad fratres, aut cura in Angelis de commisso sibi deposito: certo certius est, in purgantibus flammis patientes animas è cælesti illâ Triumphantique beatorum spirituũ Ecclesiâ multum subsidij, multumque habere consolationis. Plura hîc dicēda fortè essent, nisi crederem cuiuis cordato hæc sufficere, præsertim cum principale huius libri intentum, nempè Indulgentiæ non pendeant omninò ex hâc parte communionis. Ideóque ad alia progredior.

§. 4.

De Militantis Ecclesiæ ad Triumphantem communione.

I. SVperiùs vidimus quid Triumphans Militāti, aut Patienti adferat subsidij, vel patrocinij: èconuerso discutiamus modô, quæ sint Militantis partes, ad Triumphantis, Patientisque fratres. At in hoc §. quid Triumphanti offerat Militans; & patientiam habebit Patiens vsque ad seqentē §. Triumphantibus fratribus locum cedens.

II. In hâc materiâ pauca dicenda sunt, cum ipsa ratio, ciuilitas, gratitudinisque vincula, non dictent modò, sed & expostulent correspondentiam reciprocam Recipimus è cœlesti illâ curiâ protectionem, adiutorium, defensionem, consolationes, beneficia multa

multa Sanctorum negotiatione: *soliciti enim sunt de salute nostrâ*, & magnâ res nostras satagunt curâ. Et poterimus adeò esse vecordes, & ingrati, vt nè dicamus quidem gratias? & vt non rependamus ijsdem tantis benefactoribus (quos scimus magnos Dei amicos, & familiares Altissimi) vel minimum reciproci: Absit: imò absit longè è corde pio hominis Christiani. Agnoscamus obligationem, & grates, vt iustum est, rependamus: Laudemus illos, & honoremus tanquam veros Dei amicos, & Patronos nostros pios: & affectionis, patrocinijque continuationem humiliter, instanterque postulemus, &c. Et sit hæc vna ratio templorum ædificandorum, altariumque erigendorum, super quibus ad Dei honorem, Sanctorumque memorias incruentum Missæ sacrificium peragimus: hæc item vna ratio sit celebrandi Natalitia eorumdem, festos dies obseruandi, vigilias ieiunandi, piè colligendi, reseruandi, & venerandi reliquias, virtutes imitandi,

D.Cypr.

di,

di, vitas gestusque admirandos laudandi, eosdem inuocandi, fælicesque nos in eorum patrocinio æstimandi. Et certè hæc ratio est, quod hæc omnia, hisque multò plura ex gratitudine perficere obligamur. Nec abhorrent omninò Sectarij omnes isthæc omnia; cùm ex præscripto publici Communionis suę (itâ appellant Angli) libelli, per totum Anglię regnum festos B. Virginis dies aliquot, Apostolorum omnes, SS. Stephani, Laurentij, Michaelis, Innocentium, omnium Sanctorum obseruent dies: in eodem item libello ordinantur eorundem Sāctorum officia in templis suis, publico ritu peragenda: Conciones ad populum habent in eorundem laudes, templa Sanctorum titulis dicata frequentant, & populus vt plurimùm anniuersaria dedicationis, vel Sancti festa festiuè ducunt (sed heu nimirum plus potationibus, quā orationibus). In curiâ ipsâ magnæ de S. Georgio festiuitates ducuntur; imò & commune est in omnium ore, et-
D   iam

iam Protestantium, S. *Georgius pro Angliâ*, S. *Andræas pro Scotiâ*, S. *Patricius pro Hiberniâ*, S. *Dionysius pro Galliâ*, S. *Iacobus pro Hyspaniâ*, &c. *oret*, scilicet, *pugnet*, *curam suscipiat*, &c. Quod equidem aliud nihil est, nisi inuocatio quædam opis, & patrocinij eiusdem Sancti, quem tutelarem elegerit patria. Ideóque iniustum quidem erit, id nobis vitio verti ab eis, qui eâdem nobiscum laborant infamiâ, si Sanctos honorare infamia dici possit; quod nullâ crederem ratione. Vndè videtur contrà eosdem sufficienter probatum, cum ipsi idem (de quo incusamur nos) etiàm ex præscripto suarum legum exequantur. Cedant ergô necessum est, maximâ ex parte Sanctos rectè colendos, & honorandos. Verùm cedant necnè, idem est: irrefragabiliter ex Scripturis sacris, sanctisque primitiuæ Ecclesiæ Patribus probatum eo.

1.Reg.13 ℣.14 Psal.138. ℣.17. III. Bonû est, & inoffenso pede quis *virum illum secundum cor Dei* imitari poterit, qui de seipso ait: *Mihi autem nimis*

nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confirmatus est principatus eorum: vbi verbum illud *nimis* non aliter accipiendum est, quàm vt significet valdè multum, itâ vt sensus sit: ego quidem honoro Sanctos tuos valdè multùm, quiâ principatus eorum est magnus valdè. Si ille adeô multùm Sanctos Dei honorauerit, non equidem malè fecero, si ipsum imitando Sanctos Dei maximo quo possim honore prosequar; præcipuè cum iustum sit, etiam Iesu Christi exempla sequi imitando, ipso ad hæc nos inuitante, dum ait: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Nec aliter suadet D. Paulus, *Estote ergò imitatores Dei, sicut filij charissimi.* Deum imitari poterimus? quanto magis homines? vtpote D. Paulum: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Quid ergò magni erit, si imitemur Dauid, & dicamus cum illo: *Nobis autem nimis honorificati sunt amici tui Deus?* Licet certè, licet, inquã, ad Dauidis exẽplũ Sanctos honorare.

Ioan. 13. ℣ 15.

Ephes. 5. 1.

1. Cor. 11 1.

1. Reg. 28.14. IV. *Et intellexit Saul quod Samuel esset, & inclinauit se super faciem suam in terra, et adorauit.* Quod hic fuerit verè Samuel patet tam ex ipsis verbis, & *intellexit Saul quod Samuel esset.* Et hoc intellexit ex habitu, & ex ætate: *vir* ℣. 14. *senex ascendit, et ipse amictus pallio,* vsitato Samuelis vestimento: & ex eo nouit, quod exclamauerit mulier, ℣. 13. *Deos vidi ascendentes de terra:* imò etiam & inde nouit, quia viso Samuele mulier statim Saulum etiam nouit: ℣. 12. *quare imposuisti mihi? tu es enim Saul.* Imò certo certius est ipsum fuisse verè Samuelem, qui diuina prouidentia apparuit contra mulieris Pythonissæ expectationem, idque in causa fuit, cur adeò timuerit, *& exclamauerit voce magna:* quod equidem non fecisset, si notus sibi diabolus, vel spiritus quispiam familiaris, & vsitatus apparuisset: Sed *Deos vidit,* qui terrent Pythonissas. Et reprehendit Samuel Saulem pro suscitatione; *quare inquietasti me, vt suscitarer?* quod dæmon, aut malignus spiritus non fecisset: gauderet enim

enim illi malis hominum actibus; suscitari autem dæmonem, est ipsum inuocare in adiutorium, quod idololatriæ genus est, & contrà primum Dei præceptum; vndè hoc summum eorum desiderium; nec se æstimant isto labore inquietari. Ipsa etiam Samuelis verba Samuelẽ esse affirmãt; prosequitur enim eodem tenore verborũ contrà Saulem, quo dũ viueret, vsus est. *Quid interrogas me, cũ Dominus recesserit à te, & transierit ad æmulũ tuũ?* Imò verò etiam mortuus modò, Propheta est, & futura multa nouit, Saulique prædicit: Primò, *Faciet enim tibi Dominus, sicut locutus est in manu meâ.* Secũdò, *Scindet regnũ tuũ de domo tuâ.* Tertiò, *Dabit illud proximo tuo Dauid.* Quartò, *Dabit Dominus etiam Israel tecum in manus Phylisthijm.* Quintò, *Cras tu, & filij tui mecum eritis.* Sextò, *Sed & castra Israel tradet Dominus in manus Phylisthijm.* At verò futura hæc contingentia in manu Dei sunt omnia, nec illa quisquã nouit, præter illũ, & cui voluerit ille reuelare: Nec ca-

1. Reg. 13. ÿ. 14. & 15. ÿ. 23. 16. & 27.

dunt isthæc in captum dæmoniorum: nec probabile est Pythonissarum spiritus priuilegiatos in hâc parte fuisse vnquam: præsertim cum *spiritus mendax in ore omnium Prophetarum Achab fuerat*, qui fortè aliter facere non potest, *mendacij pater*. Sed quid ambages quærimus? Scriptura dicit illum ipsummet fuisse Samuelem. *Et post hæc dormiuit Samuel* (inquit Ecclesiasticus) *& notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltauit vocem suam de terrâ in prophetiâ delere impietatem gentis*. Quid clarius? ergô ipsissimus fuit Samuel. Nec desunt Patres authoritatis magnæ id ipsum affirmantes, vtpote Iustinus Martyr, Basilius, Procopius, Tertullianus, Ambrosius, Hieronimus, ipse Augustinus, & alij, quos vide apud Coccium. Nec nouum denique est hoc, quod ad inuocationem incantantium diabolus prohibitus sit respondere, & spiritus bonus ex mandato Dei se ingerat ad responsa: vti de Balaam Ariolo habemus, qui bis

3. Reg. 22. 22.

Ioan. 8. 44.

Eccl. 46. 23.

Iustinus dial. cũ Triphone.

Basil. ep. 80 ad Eustochiũ

Procop. ad ca. 7. Isaiæ.

Tertull. libr. 3. Carm. contra Marci. cap. 5.

bis dæmones suos consuluit, & cui bis Angelus responderit: & ité apud Balac bis in montibus quæsierit auguriū à dæmonibus, totiesque ab Angelo edoctus sit, quid facto opus fuerat, & quid dicendum: & in omnibus prohibitus est Spiritus eius malignus, ne Ariolo responsi quicquam faciat. Vndè nec mirum est, quod simile quid hic acciderit à Domino cum Pythonissâ Endorensi. Stat ergô irreuocabile verbum, ipsummet fuisse Samuelem qui apparuit, aliâs enim Samuelis nomine toties illum Scriptura (sine correctione vllâ) non nominasset. Erat autem Samuel alterius vitæ fœlix incola, & è numero Sanctorum Dei, vt vel ex ipsis suis verbis patet. *Quare*, inquit, *inquietasti me?* erat ergô *in pace locus eius*. Nec tacet Pythonissa: *Deos vidi ascendentes de terrá*, Sanctos vtique de Lymbo. *Et intellexit* ergò *Saul*, *quod Samuel esset*, & æstimauit sui muneris esse digno illum venerari honore, *& inclinauit se super faciem suam in terrá, & adorauit*: quod anteâ certè nun-

Amb ad c.1. Luc. Hier. ad c.7. Isaię Aug. lib. de cura pro mortuis. cap. 15. Coccius to. 1. l. 5. art. 10.

Psal. 75. ℣. 3.

nunquam fecit Saul, dum Samuel in viuis ageret; nec eum Samuel ex hoc reprehendit, licet de alijs rebus minutioribus tam præteritis quam præsentibus eum obiurgârit: imò licet totum eius colloquium fuerat offensionis, & reprehensionis plenum. Vndè euidens est, quod si adorationis illius actus ipse species quædam fuisset idololatriæ, intactum equidem nunquam reliquisset, cum minutiora alia diuersa adeò grauiter animaduerterit. Igitur Saulis adorationis actus, & Samuelis altum hâc de re silentium, inuincibile pro veritate nostrâ format argumentum.

V. Transfigurato Domino, *Faciamus*, inquit D. Petrus, *hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum.* Sit, quod tabernaculorum nomine intelligantur templa, capellę, altaria, aut quædam tabernaculo fæderis similia; idem est proposito nostro: quicquid enim ea fuerint, in honorem Moysis, & Eliæ destinanda, & dicanda voluit B. Petrus; & hoc in

Mat. 17. ℣. 4.

præ-

præsentiâ Domini nostri Iesu Christi, etiam petitâ ipsius veniâ, *si vis*, inquit: nec reprehensa â Domino Petri oblatio. Nec contrà facit quod *huic suggestioni Dominus non responderit: eo enim significauit non quidem improbum, sed inordinatum tantum esse quod cuperet.* Et proinde licitum est illos honorare, quos *honorificabit Pater*: quiâ *gloria, & honor omni operanti bonum.*

D. Leo serm. de Transfiguratione Domini. Ioan. 12. ℣. 26. Rom. 2. 10.

VI. Vel ex eo Prophetissa dicitur Maria virgo, quod in Cantico suo dixerit; Ex *hoc beatam me dicent omnes generationes.* E quibus sic ratiocinor. Vel vera dixit, vel non: Si vera: *Beatam dicere*, eandemque vt *beatam* honorare possunt *omnes generationes*. Sîn falsa dixerit, vt quid irreprehésa Scripturę sacræ inserta sunt verba ista? vt quid Prophetissa ex hoc asseueratur? At irreprehensibile est omninò verbum Dei, & Scriptura sacra; ergô *beatā illā dicēt omnes generationes*; & *benedicta illa inter mulieres*. Cum Angelo igitur Gabriele non malè dicemus illi: *Aue gratiâ plena, Dominus tecum.* Et credo

Luc. 1. ℣. 48. ibid. ℣. 42. ibid. ℣. 28.

credo equidem, quod bonus erit hic sermo in ore omnium. Quis precor inficiâs ibit?

VII. Nec minoris momenti sunt authoritates illæ, quibus honor aliquis iustè Angelis tribuitur: sunt enim & illi Ecclesiæ Triumphantis membra. Quicquid ergò illis hâc in parte conceditur, æquo iure Sanctorum animis cedi potest, *æquales enim Angelis sunt*, ait Dominus. Lot igitur *adorando pronus in terram* duos illos Dei Angelos, qui eum è Sodomorum, & Gomorrhæ ruinis liberaturi aduenerant, positionem nostram multùm astruit. Nec minus facit Balaam, licet Ariolus, quiâ in hoc irreprehensus, dum *Angelum stantem in viâ euaginato gladio adorauit pronus in terram.* Imô nec Iosue tacendus, qui antè Angelum in sui subsidium in campis Hierecuntinis paratum, *cecidit pronus in terram, & adorans ait*, &c.

Mat. 22. ℣ 30. Mar. 12. & Luc. 20 ℣. 1. Gen. 19. 1. Nu. 22. 31. Iosue 5. 15.

VIII. Idem etiã egregiè probant textus illi omnes, quibus asseruntur Sancti Patriarchæ altaria ædificasse

in

in titulum, memoriamque beneficiorum ibidem à Deo receptorum per Angelorum ministerium: vt Iacob in loco vbi *vidit ascendentes, & descendentes Angelos.* Et Gedeon *sub quercu in Ephrâ*; vbi apparuit illi Angelus, & promisit, quod *percuteret Madian quasi virum vnum.* Atque item Dauid in areâ Areunâ, vbi vidit Angelum cessantem ab internecione populi. Ad idem etiam pertinent omnes illi Scripturę Sacræ textus, vbi sacrificiũ affirmatur oblatum in loco beneficij Angelorum ministerio suscepti: vti hic per Dauid, & inibi per Gedeon factum habemus: & in loco vbi Angelus populum Dei de pace initâ cum Chanaanitis, reprehendit. Illæ item Scripturę quibus affirmantur Patriarchæ nomina indidisse locis Angelorũ apparitionibus sacris: vti hæc vltima, vbi *locum* nominarunt *flentium*: & illa vbi Agar ob solatium ab Angelo susceptum, id loco nomen dedit *Puteus viuentis, & videntis me*: & vbi Iacob in perpetuam rei memoriam mutauit nomen

Gen. 28. 18.
Iud. 6. ℣. 16. & 24
2. Reg. vlt. ℣. 25.
Iud. 2. ℣. 1.
Gen. 16. 14.

nomen Luza in Bethel, quoniam inibi vidit *Angelos ascendentes, & descendentes*, & obtinuit benedictionē magnam. Similia multa ex Scripturis allegari poterunt, quibus antiqui Patriarchæ testabantur æstimasse se quasi obligatos (saltem iustè, & piè) externa quædam beneficiorum receptorum monumenta erigere, ad æternam factorum memoriam, non â se solis, sed & â posteris suis omnibus recolendam. Quorum omnium præcipuus licet honor Deo, & iustè tanquam bonorum omnium authori primo, tribuatur: surgit tamen exindè & suus honor Angelis, tanquā dignis Dei ministris: vndè sicut sunt instrumenta proportionata, per quæ homines â Deo tanta recipiunt beneficia; ità sunt etiam suo modo digni suâ laude proportionatâ: nec amplius expetimus honoris aut Angelis, aut Sanctis Dei tribuendum. Qui plura desiderat, videat quæ hic in margine apposuimus.

Gen. 28. 19. Gen. 32. ỷ. 30. 48. ỷ. 16. 50 ỷ. 25. Exod. 13 ỷ. 19. 25. ỷ. 18. Iosue 24. ỷ. 32. 1 Reg. 2. ỷ. 30. 3 Reg 7. ỷ. 36. 4 Reg. 13. ỷ. 21. 1. Paral. 21. ỷ. 16. Tob. 5.

IX. Patres omnes, qui pro nobis hâc in re loquuntur, in medio pro-

ducere tędiosum nimis esset: tanti, tamque multi sunt, vt nè vnus quidem sit, qui nobiscum non sentiat, & datâ occasione pro hâc Militantis ad Triumphantem, in supplicatione, veneratione reliquiarum, imaginũ, templorum, altariumque ad ipsorum honores erectorum, & cultu stet communione; ità vniuersus est eorundem, & vnanimis omnium hâc in materiâ concursus. Sufficiat ergò nobis vnum aut alterum produxisse, ne gratis dixisse videamur.

ỳ. 21. Iob. 5. ỳ. 1. Psal. 115. ỳ. 7 Eccl. 45. ỳ. 1. 48. ỳ. 14. Osee 12. ỳ. 4. Act. 5. ỳ. 15. 19. ỳ. 12.

X. D. Basilius ille magnus, *memoria*, inquit, *Martyris est, & omnis regio commota est, omnis ciuitas ad festiuitatem transmutata est, neque cognati diuitum ad parentum sepulchra decurrunt, sed omnes ad pietatis locum.* Quid fecissent hic Nouatores, si in eâdem ciuitate vixissent? Vultis euidentius?

D. Basil. hom 26. de S. Mamante.

XI. D. Hieronymus, vt sui moris est, Vigilantium contrà Martyrum reliquias blasphemantem seuerè castigat his verbis: *Dolet* (inquit) *Martyrum reliquias pretioso operiri velamine*

D. Hier. contra Vigilan. cap 2.

mine, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel proijci in sterquilinium, vt solus Vigilantius *ebrius, & dormiens adoretur.* Ergô *sacrilegi sumus, quandò* Apostolorum *basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit* Constantinus *Imperator, qui sanctas reliquias* Andreæ, Lucæ, & Timothei *transtulit* Constantinopolim, *apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores* Vigilantij *illorum se sentire præsentiam confitentur? Sacrilegus nunc dicendus est Augustus* Arcadius, *qui ossa B. Samuelis longo post tempore de* Iudæá *transtulit in* Thraciam? Omnes Episcopi *non solum sacrilegi, sed & fatui iudicandi, qui rem vilissimam, & cineres dissolutos, in serico, & vase aureo portauerunt? stulti omnium* Ecclesiarum *populi, qui occurrerunt sanctis reliquijs, & tantá lætitiá, quasi præsentem, viuentemque* Prophetam *cernerent, susceperunt, vt de* Palestiná *vsque* Chalcedonem *iungerētur populorum examina, & in* Christi *laudem vná voce resonarent? videlicet adorabant* Samuelem, *& non* Christum, *cuius* Samuel *& Leuita, &* Prophetes *fuit?* Luculentissimū

est

est hoc, cũ adducat Episcopos quamplurimos, vniuersum multarum Ecclesiarum Orientis populum; imò & Imperatores duos, æquales saltem Regibus nostris, quorum personæ sacræ, quorum actiones (vt volunt in Angliâ Nouatores) irreprehensibiles: sint (si hoc velint) & Imperatores (etiam ab omni antiquitate laudatissimi) sacri; nec reprehendenda eorum tanta religio, nec Sanctorum reliquijs sacris piè exhibitus honos explodendus: Præsertim cum non caruerint iustâ ex Scripturis Sacris eiusdem assecuratione: nouerant enim Moysen Prophetam illum magnum, & honoris Dei zelatorem maximum, ossa pia Iosephi Patriarchę ex Ægypto, toto suæ peregrinationis tempore, circumtulisse. Imò nouerant Iosiam Iudæ Regem etiam in feruore zeli sui, statuas, altaria, lucos, excelsa, & omnia idololatrię instrumenta Iudæ, & Samariæ, & Bethel destruentem, & ipsa sepulchra in monte demolientem, ossaque mor-

mortuorum comburentem dixisse; *Quis est titulus ille, quem video?* & audito quòd *sepulchrum hominis Dei esset, qui venit de Iudâ, & prædixit verba hæc, quæ fecisti super altare Bethel:* Addidisse: *Dimittite eum: nemo commoueat oßa eius: & intacta manserunt oßa illius cum oßibus Prophetæ, qui venerat de Samariâ.* Pepercit ergò reliquijs Prophetarum, iustam habens de illis æstimationem, venerationemque illis exhibens debitam. Nec tacet Scriptura illum etiam in hoc benè fecisse, dat enim illi encomion magnum: *Similis illi* (inquit) *non fuit antè eum Rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde suo, & in totâ animâ suâ, & in vniuersâ virtute suâ, iuxtà omnem legem Moysis: neque post eum surrexit similis illi.* Videtur equidem implesse illud *maximum & primum mandatum: Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, & in totâ animâ tuâ, & in totâ mente tuâ;* & sicut addit Marcus: *ex tota virtute tua.* Quod si species quædam hæc esset idololatriæ; quomodò *reuersus est ad Dominum iuxta omnem*

Mat. 22. ℣. 37.
Mar. 12. ℣. 30.

nem legem Moysi? vt quid, inquam, illis Prophetarum reliquijs pepercerit, etiam tunc quum honoris Dei zelum in animo conceperat, & demoliendi omnes Idololatriæ ansas, & occasiones feruore nimio æstuabat? imò equidem dum reliquorum ossa solicitè ignibus comburenda tradebat, multo certè solicitius isthæc concremanda præcipere debuisset. At hoc non fecit, iustè & religiosè de eorumdem statuens præseruatione. Quod totum vt Imperatorum dictorum authorizat reliquiarum Sanctorum venerationem, itâ & nostram Militantis ad Triumphantem Ecclesiam stabilit communionem: nec habent Nouatores quod contradicant.

XII. Apostoli apud D. Clementem itâ ordinârunt. *De Martyribus verò præcipimus vobis, vt in omni honore sint apud vos.* Quotus ille est, qui obedientiam Apostolis non exhibebit?

D. Clemens Constit. Apost. l. 5. cap. 7.

XIII. D. Irenæus de Martyribus loquens, ait: *Cum inquiretur sanguis eorum, & gloriam consequentur, à Christo*

D. Iren. l. 3. c. 20.

sto confundentur omnes, qui inhonorauerunt eorum martyrium. Caue tibi hæretice?

D. Amb. serm. 6. XIV. D. Ambrosius; *Quisquis ergô,* ait, *honorat Martyres, honorat Christum; & qui spernit Sanctos, spernit & Dominum.* Quid ad hæc Nouator ais?

Concil. Gangrẽ-se. can. 20. XV. *Si quis arrogantiâ vtens, & Martyrum congregationes abhorrens, & sacra, quæ in ijs celebrantur, & eorum memorias accuset, Anathema sit.* Itâ Gangrense Concilium. Vis Anathema esse? hâc vtere arrogantiâ. Multitudinis testimonium est hoc, ideôque hic sisto gradum.

XVI. Solus modò D. Ioannes Damascenus huius tanti Sanctorum honoris causas suppeditabit aliquas. Sic ait: *Sanctis vt Christi amicis, & Dei filijs, atque hæredibus honor haberi debet.* Et immediatè post hæc, probat eos Dei (a) amicos, (b) filios, & (c) hæredes, imò Deos hominum, & subiungit: *Ecquid igitur causæ esse potest, quin eos honore complectamur, qui Dei serui, & amici, ac filij appellati sunt:* Et aliud

D. Ioan. Damasc. li. 4. Orthodoxæ fidei cap. 16.

(a) Ioan. 15. ℣. 14.

(b) Ioan.

aliud adiungit argumentum; asserens eosdem esse membra Christi, & viua Spiritus sancti (c) templa: & concludit: *Quid ergò afferri potest, quin animatis Dei templis, & viuis Dei tabernaculis honor sit adhibendus.*

1. ℣. 12. Et ad Rom. 8. ℣. 15.
(c) Rom. 8. ℣. 17.
(d) Exod. 7. ℣. 1
(e) 1. Cor. 6. ℣. 15. 19.

XVII. Sufficiant isthæc. Quod si quis plura desideret, & hos videat: Dionys. Ecclesiast. Hierach. c. 3. Orig. ho. 3. in diuersos. Basil. orat. in 40. Martyres. Nazianz. ep. 90. & 95. & alibi. Cyprian. ep. 34. Concil. Carthag. 1. sub Iulio 1. c. 2. Aug. l. 20. contrà Faustum c. 21. & li. 8. de ciuitate Dei c. 27. D. Leo. ser. de S. Vincent. c. 1. Et alios plurimos apud Coccium to. 1. li. 5. art. 12. 13. 14. 15. 16. & 17. & alijs præcedentibus quibusdam.

XVIII. Nec tacent aduersarij ipsi; Lutherus enim hæc habet. *De intercessione Diuorum cum totâ Ecclesiâ Christianâ sentio, & iudico Sanctos à nobis honorandos esse, atque inuocandos*, &c. Et similia habet in Festo S. Ioannis Baptistæ: Epist. ad Erphordienses:

Luther. in purgatione quorundam articulorum.

Epist. ad Georg. Spalatinum: & de preparatione ad mortem.

Io. Oecolāp. ad orat. Chrysost. de Iuuētio & Maximo Martyribus.

XIX. OEcolampadius item: *Neque Sanctos, inquit, orare inficias, neque impiorum, & Idololatrarum esse asseuerauer[illegible] illis Sanctorum implorare patrocinia.*

XX. Simile quid habet Buceru[s] in defensione contrâ Arbricensem Episcopum. Et Ioachimus Camerariu[s] de Orthodoxis precibus fol. 12. & 17 quos vide apud Coccium vbi suprà articulo 6. sub finem.

XXI. Stat ergô inuiolabilis communio Militantis ad Triumphantem probata ex Scripturis sacris, Patribus antiquis, aduersariorũ confessione, & ratione ipsâ. Satis est, superque. Ad Patientem veniamus.

§. 5.

De Militantis Ecclesiæ ad Patientem Communione.

I. ÆQuè item certum est, Militantem hanc in terris Ecclesiam piè, & misericorditer animabus in Purgatorij flammis misere exustis subuenire; disertissimè enim id asseuerat Scriptura.

II. *Factá collatione duodecim millia drachmas misit* (Iudas Machabæus) *Hierosolimam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè & religiosè de resurrectione cogitans: nisi enim eos qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis: & quiá considerabat, quòd hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergô, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Vel hoc vnicum testimoniũ sufficeret, cum quicquid

2. Mach. 12. ✝. 43.

quid in hâc re desiderari poterit, luculentissimè declaret: hîc *oratio*, hîc *sacrificium* offertur pro mortuis, *vt à peccatis soluantur*; imò *sancta, & salubris est cogitatio hæc.*

III. De gratiâ autem addamus, & quædam alia etiam euidentissima. *Abraham cū surrexisset ab officio funeris, loquutus est ad filios Heth, dicens: Aduena sum et peregrinus apud vos, date mihi ius sepulchri, vt sepeliam mortuum meum.* En hic orationem funebrem, quià *officium*, Abrahæ pro vxore suâ Sarâ defunctâ. Dum enim prius *officio* fungatur *funeris* Abraham, & posteà de loco sepulturæ cum filijs Heth tractare incipiat, diuersa illa esse apertissimè demonstrat. Imò verò ipse verborum sensus, & ordo insinuare videtur consuetudinem fuisse illorum temporum, primò *funeri*, posteà *sepulturæ* operam nauare, & vtroque animas adiuuare separatas.

Gen. 23. ℣. 3.

IV. Et ideò simile quid habemus à S. Ioseph Patriarchâ, & fratribus eius practicatum, dum portarent corpus

patris ſui Iacob in terram Chanaan ex Ægypto. *Venerant ad aream Atad, quæ ſita eſt trans* Iordanem: *vbi celebrantes exequias planctu magno atque vehementi, impleuerunt ſeptem dies.* Et infrà: *Et ſepelierunt eum in ſpelunca duplici.* Quid (bone Deus) hoc eſt? *Celebrantes exequias per ſeptem dies? Et ſepelierunt eum poſteà?* Et cum addat, *planctu magno*, facto à Ioſeph Prophetâ, & fratribus eius Patriarchis, certum videtur fuiſſe non tam teſtimonium naturalis affectionis, quam peccatorum deplorationem: non enim eſt veriſimile, quod Sancti illi Patriarchæ inſtituerint, & indixerint ſeptem dierum planctum (iuſtum dico dierum numerum, itâ vt affectioni, & afflictioni naturali terminum, limiteſque darent,) vt humano more lugerent, & non potiùs vt *exequias* pro bono defuncti animæ de more *celebrarent*, peccata plangentes, orationeſque pro defuncto fundentes ſolemni ritu, ſecundum conſuetudinem à maioribus acceptam, & practicatam.

Gen. 50 ℣. 10.

V. Et confirmatur hoc ampliùs ex praxi populi Iabes Galaad, qui eādem secuti consuetudinem *ieiunauerūt septem diebus super Saul, & super filios eius* occisos à Phylistheis in Gelboë montibus; & ex subsequenti *planctu, & fletu, & ieiunio* Dauid, & populi eius. *Dauid enim vestimenta sua scidit, et omnes viri qui erant cum eo; et planxerunt, et fleuerunt, et ieiunauerunt vsque ad vesperam super Saul, et super Ionathā filium eius, et super populum* Domini, *et super domum Israel, eo quod corruissent gladio.* Qui *planctus, et fletus, ieiunijque* opus pœnale ad peccatorum satisfactionem pertinere nemo inficiâs ibit; insinuantque hæc omnia fuisse in vsum consuetudine redactum, vt similia defunctis præstarent obsequia, quæ speciem quandam exequiarum, & funebris alicuius officij præ se ferrent. Præsertim cum aliâs multoties in Scripturis etiam antiquioribus non multum (a) dissimilia legamus. Nec sufficit respondere, illas actiones fuisse tantum testimonia doloris in-

1. Reg. 31. 13.

2. Reg. 1. 11.

(a) Gen. 50 ℣. 10. Nu. 20. ℣. 30.

terni

terni animi de amico perdito, vel etiam consolationes illas esse viuorum testificantes affectionem defunctis amicis, & dolorem animi per lachrymarum effusionem. Nullo enim modo affirmari potest, *ieiunandi* virtutem, vel à Deo institutam, vel à Patriarchis, & Dei seruis practicatam ob talem mundi, & vanitatis considerationem. Illud autem veriùs in hoc saltem particulari casu cum D. Bedâ dicendum: *Rectè ad literam pro mortuis, vt ad requiem peruenire valeant, septem diebus ieiunatur.* Isthæc autem ieiunij pænitentia, cum ex suâ naturâ sit virtutis actus, & satisfactionis operatio, coniuncta cum *fletu, et planctu*, sicut ex se non potest ad viuorum consolationem applicari, ità etiam testatur ipsum *fletum, et planctum* sibi coniunctum ad aliud ordinari, quam in testimonium affectionis, aut doloris de amico perdito, aut etiam in viuentium solatium. Vndè certum est, aliquid hic factitatum in viâ virtutis, & satisfactionis ad defunctorum bonum, subsidium, &

Deut. 34. ỳ. 8. Iud. 11. ỳ. 40. 1. Reg. 25. ỳ. 1.

D. Beda in hunc locum.

& leuamen.

1. Reg. 3. ℣. 31. VI. Iungamus & illud, vbi *Dauid dixit ad Ioab, & ad omnem populum, qui erat cum illo: Scindite vestimenta vestra, & accingimini saccis, & plangite ante exequias Abner.* Et paulò inferiùs: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si ante occasum solis gustauero panem, vel aliud quidquam.* Ieiunare, aut *plangere in saccis ante exequias*, virtutis pænitētiæ actus sunt, & satisfactorij multùm, & exindè vel maximè consoni, & desiderati, & proficui purgantibus animis; nec videntur posse fieri tantùm in viuorum consolationem, cum pænales valdè sint: vndè in peccatorum Abner satisfactionem facti omninò æstimari, & haberi debent; & consequenter nostram probant positionem.

VII. Quibus si addatur Tobiæ senioris filio suo datum consilium, superplena erit nostra probatio. Ait enim: *Panem tuum, & vinum super sepulturam iusti constitue*, &c. hoc est: cum moritur iustus pauperibus da eleëmosynam, vt pro illo orent, nè fortè

Tob. 4. ℣. 18.

in

in alio mundo soluendũ quid habeat; vel itá: conuiuium instrue iustis, eosdem conuoca, vt ipsi orent pro eo: nè voces autem peccatores, quià ipsorum orationes apud Deum non valent; & ideò addit: *noli ex eo manducare, et bibere cum peccatoribus.* Quod certè confirmat Ecclesiasticus, dum dicat: *Mortuo non prohibeas gratiam*: scilicet, necessarius est illi fauor à Deo, vt ipsius misereatur: & assistentia tua illi item necessaria, vt illam Dei gratiam, illumque ipsi obtineas fauorem, & misericordiam impetres à Deo pro eo. Nec aliam gratiam mortuo præbere potes: quid enim illi curæ, si conuiuio ventrem ingurgites, vel magnificum super cineres eius ædifices mausolæum? quid equidem mortuo prosunt isthæc? *Gratiam illi non prohibeas*: gratiam, inquam, illam quę illi proficua est; animam, quæ mortui pars potior est; adiuua ieiunijs, orationibus, eleëmosynis; & si ipse illi hanc gratiam non feceris, saltem alios *non prohibeas*, eandem præstare volentes.

Eccl. 7. 37.

tes. Et videtur equidem fuisse antiquus Christianorum mos, hunc Tobiæ sequi, & practicare consilium, vt testantur (a) D. Clemens, (b) Tertullianus, (c) D. Chrysost. (d) Gratianus, (e) D. August. & alij: quod etiã nunc Christiani quasi omnes, tã Catholici quam hęretici omniũ penè locorũ, imitantur magnifica instruentes funerum conuiuia. Addit autem exprefsè Tobias, vt constituatur hæc eleëmosyna non super sepulturam cuiuslibet, sed *iusti*. Nouit enim ille in vanum fore eleëmosynam elargiri pro reprobo, cui nullo modo poterit subueniri: pro *iusto* autem dandam suadet eleëmosynam, etiam mortuo, vt si fortè *in peccatis sit* (venialibus scilicet,) vel multùm aut parùm pro peccatis debeat, *dimittantur ei omnia: ignem enim ardentem extinguit aqua, & eleëmosyna resistit peccatis*. Enimuerò adeò religiosa est hęc pietas, vt Iudæi ipsi etiam hâc æstate suam habeant *hastiaba*, hoc est, suas pro defunctis orationes, quas *hazan*, id est, ipsorum

(a) D. Clem. Apost. cõstit. li. 8. cap. 42.
(b) Tertul. li. de monogamia c. 10. & li. de corona militis. ca 3.
(c) D. Chrys. ho. 37. in Mat. & in cap. 9. Mat.
(d) Gratian canon. Nullus. dist. 44.
(e) D. Aug. ep. 64.
Anton. Margarita Iudæus baptizatus l. de vniuersâ Iudeorum fide. Gropperus de Eucharistia. Rabbi Moyses in [illegible]

minister sæpiusculè fundit super tumulos mortuorum, vt fatetur Whittakerus minister Anglicus scribens contrâ Duræum in hæc verba: *Scio enim Iudæis eße libros memoriales, quos in synagogis suis legunt; eosque nunc precibus quibusdam pro mortuis vti solere non ignoro.* Imò equidem Turcæ eodem pietatis, & misericordiæ mouentur zelo, offerentes sacrificia, eleëmosynasque erogantes pro animabus amicorum defunctorum, vti affirmat Richardus Knols, Sandys, & Bartholomæus Iurgewicius. Nec non & infideles, & Idololatræ piũ & iustum iudicarunt *placare manes*, etiã sacrificijs. Adeò innatum videtur, & â naturâ ipsâ humano generi inditum, vt ab omnibus gentibus, & nationibus Latinis, Græcis, & Barbaris aliqua defunctorum animabus humanitas exhibeatur, & pia fiat eorum miseratio, qui sibi ipsis in nullo poterunt subuenire. Absit ergô â nobis Christianis in Iesu Christi corpore per charitatis vinculum vnitis, & coniunctis, itâ fratrum

fol. 26 b. exprimit orationem vnã pro defũctis Io. Isaac in instit. linguæ Hebraicæ.

Whittakerus contra Duræũ.

Richar. Knols Histor. Turcica in vita Baiazeti secundi.

Sandys li. de sua peregrinatione.

Bartholomeus Iurgewicius li. 2. c. 29 histor. turcicæ.

fratrum nostrorum defunctorum obliuisci, vt magis inhumanos nos Turcis, Iudæis, & infidelibus ipsis ostendamus.

VIII. Sufficerent hæc cuiuis cordato: at verò, vt & isthæc conclusio completam habeat probationem, aliquos hic subiungamus Patres: aliquos, inquam, omnes enim produxisse esset volumen ingens contexere, & odiosam nimis, & tædiosam lectori præbere operationem: paucos ergô è multis dabo.

D. Clemens ep. 1. ad Iacobum fratrem Domini.

IX. D. ergô Clemens D. Petri Apostolorum principis discipulus hæc habet: *Instruebat D. Petrus, actus suæ vitæ omni borâ custodire, &c: mortuos sepelire, & diligenter eorum exequias peragere, pro eisque orare, & eleëmosynas dare.* Euidentissimum hoc, nec illatione vllâ indiget. Solum hoc aduertendum, quod cum fuerit D. Clemens S. Petri auditor, & postmodum successor, commodè potuit, & obligationem habuit & noscere doctrinam, & videre praxin Apostolorum; & cum sit

sit Sanctus in cælo regnans, non est credibile, quod mentiri voluerit in terris. Doctrina ergô fuit D. Petri, *defunctos exequijs orationibus, eleemosynisque adiuuare.*

X. Audite item & D. Pauli discipulum, magnum illum Areopagi iudicem, qui mortuorum sui temporis ceremonias sepeliendorum recolens, inter alia hæc habet: *Deinde accedens diuinus Antistes, ipsi mortuo sanctè precatur*, &c. Et paulò inferiùs precationis illius materiem, vt omnem nobis scrupulum auferat, subiungit in hunc modum: *Precibus quidem à diuinâ benignitate contendit, vt omnia peccata, quæ humanâ fragilitate, imbecillitateque admissa sunt, ei qui excessit è vitâ, remittat: eum in lucem, ac regionem viuorum, in sinus Abrahæ, Isaac, et Iacob deducat; in locum á quo aufugit dolor, tristitia, et gemitus.* Testimonium hoc magnum est.

D. Dionys. Areop. li. de Ecclesiast. Hierarch. c. 7.

XI. Imò eadem certè erat omnium Apostolorum mens, teste D. Chrysostomo; atque lex ab illis videtur lata hâc

D. Chrysost. ho. 69. ad populũ: & ho. 3. in epist. ad Philippenses.

ta hâc de re: ait enim: *Non temerè ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio: sciunt enim illis indè multum contingere lucrum, vtilitatem multam.* Quis, sôdes, nos arguet modò de peccato, dum pro defunctis preces, & sacrificia offerimus? Apostolos ipsos alloquatur, D. Petrum, D. Paulum; omnes ad vnum reprehendat priùs: deîn nobis vitio vertat.

D. Cyprian. epist. 66. ad plebem, & Clerum Furnitanum, vel aliter li. 1. epist. 9

XII. *Episcopi Antecessores nostri* (inquit D. Cyprianus) *religiosè considerantes, & salubriter prouidentes, censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam, vel curam Clericum nominaret; ac si quis hoc fecißit nō offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur,* &c. Magna certè pœna, & antiqua sanè, quâ per D. Cypriani Antecessores inflicta. Quod si quis hoc non fecisset, quid putas dicturus erat? id certè, vt *offerretur pro eo, & sacrificium pro dormitione eius celebraretur*, quæ omninò communionem nostram cũ defunctis egentibus apprimè conuin-

uincunt.

XIII. In Concilio Carthaginensi, cui presens aderat D. ipse Augustinus, hæc inuenimus: *Pænitentes, qui attentè leges pænitentiæ exequuntur, si casu in itinere, vel in mari mortui fuerint, vbi eis subueniri non poßit, memoria eorum & orationibus, & oblationibus commendetur.* Hęc Concilij authoritas multitudinis est: imò multarum praxis Ecclesiarũ particulariũ, siquidem totius quasi Ecclesiæ rectores eò confluunt, & in res statutas consentiũt. Et eiusmodi semper haberi debent Conciliorum authoritates allegatæ.

Concil. Carthagin. 4. canon. 79. vide can. 95.

XIV. Suæ Synodo ipsum subscribamus D. Augustinum, quoniam ità scriptum reliquit. *Orationibus vero sanctæ Ecclesiæ, et sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum (defunctorum) spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis misericordius agatur á Domino, quàm eorum peccata meruerunt: hoc enim à Patribus traditum, vniuersa obseruat Ecclesia, vt pro eis, qui in corporis, & sanguinis Christi*

D. Aug. serm. 32. vel secũdũ alios 34. de verbis Apostol. cap. 2.

sti communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur; ac pro illis quoque id offerri commemoretur, &c. Et paulò post inferiùs: Non *omninò ambigendum est, ista* (opera misericordię, & orationes) *prodesse defunctis*, &c. & post pauca subiungit: *verũ illa quæ adiuuãt spiritus defunctorũ, oblationes, orationes, erogationes, multò pro eis obseruantiùs, instantiùs, abundantiùs impẽdant, qui suos carne, non spiritu mortuos, non solum carnaliter, sed etiam spiritualiter amant.* Quid clarius? præsertim cùm dicat *à Patribus traditum* hoc, & ab *vniuersâ obseruari Ecclesiâ.* Quid ni etiam modò *à Patribus traditum vniuersa obseruet Ecclesia?* Facessant Nouatores; & nè mussitent ampliùs. Mallemus enim cum vniuersâ errare Ecclesiâ, quam ipsorum nouæ negatiuæ fidei, tanquam de salute securi, adhærere. Multa habet idem D. Augustinus in eundem effectum alibi sæpiusculè.

D. Aug. ep. 64. ad Aurel. & li. de curâ pro mortuis. & l.9. confess. c.11. 13. & vltimo, & alibi.

XV. Si plura quis desideret, videat subsequentes: D. Ambr. super obitum Theodosij, & Valentiniani Imp.

& Satyri fratris: & li. 2. epist. 8. & alibi. D. Athanas. q. 34. ad Ant. D. Ephiphanius in hæresi Aërij. Origen. lib. 3. in Iob. Tertul. de coron. militis, & de Monogamiâ. Euseb. in vitâ Constant. D. Gregor. Nazianz. 2. oratione in Iulianum. D. Hieron. in Epitaphio Paulæ: & super c. in Prouerb, & alibi sæpè: aliosque permultos.

XVI. Nec tacent ipsi Nouatores: Caluinus enim confitetur, tam fuisse vniuersalem Ecclesiæ primitiuæ praxin, pro defunctis orare: ità vt nobis cedat omnes antiquos Patres. Non enim negat *ante mille trecentos annos vsu receptum fuisse, vt precationes fierent pro defunctis*: sed subiungit paulò inferiùs arroganter satis. *Abrepti etiam ipsi (veteres) fateor in errorem fuerũt: nempe vt inconsiderata credulitas priuare iudicio solet hominum mentes. Intereà quam dubitanter preces pro mortuis commendent, lectio ipsa demonstrat. Monicam matrem suam, in libris Confeßionum Augustinus narrat vehementer rogasse,*

Caluin. li. 3. Inst. c. 5. §. 10.

gasse, vt sui memoria in peragendis mysterijs fieret ad altare. Anile scilicet votum: quod filius non exegit ad normam Scripturæ, sed pro naturæ affectu probari alijs voluit, &c. Et paulò infrà: *Hæc enim vna est fultura, quia inualuit consuetudo, vt preces adhibeantur pro mortuis, non esse spernendum hoc officium. Cæterùm vt concedam vetustis Ecclesiæ Scriptoribus, pium esse visum suffragari mortuis, regula quæ fallere nequit semper tenenda est.* Scilicet omnia Scripturę subijcienda esse ait: quasi verò Patres quicquam in hoc contrà Scripturas actitarint. Vt, vt est; Patres nobis donat, & *cõsuetudinem veteris Ecclesiæ*: quæ nobis hâc in materiâ sufficiunt, vt ille erroris condemnetur. D. Augustinus in simili casu Petiliano Donatistæ, vt se D. Ambrosij nouiter mortui authoritate defenderet; ait: *Dic huic Ambrosio, si audes, quæ mihi tam petulanter obiectas.* Dicamus & nos Caluino, & sequacibus eius omnibus: *Dicite Apostolis, dicite antiquis Patribus omnibus, dicite vniuersæ Ecclesiæ primitiuæ, quod nobis*

D. Aug. contra Petilianum.

tam

tam petulanter obiectatis: Et posteaquã
eosdem confutaueritis, eiusdem cum
illis erroris nos iure condemnandos
adiudicate. Interea temporis stet no-
stra communio de fide certissima: vt-
potè tam in generali, quam in parti-
culari Triumphantis, Militantis, Pa-
tientisque Ecclesiarum. Cum enim
§. 3. probatum sit Triumphantem Pa-
tienti, & in hoc Militantem eidem
succurrere; non videtur necessarium
omninò nouos instruere §§. quibus
Patientis ad easdem reciprocam o-
stendamus correspondentiam. Et hoc
præcipuè, cum animarum in illis pur-
gantibus flammis detentarum status
sit pati, & solatium recipere: a-
gere autem fortè, dum
ibidem sunt, nihil.
Illi ergò labori
supersede-
mus.

cepit Dominus faciem Iob. Dominus quoque conuersus est ad pænitentiam Iob, cum oraret ille pro amicis suis. En pænitentiam Iob, & orationem proficuas multum amicis suis, ità vt placaretur Dominus ab irâ furoris sui ad eius instantiam, & in amicum conuersus. Quid efficacius dici potuit?

III. Iterum sæpiusculè pro Israëlitici populi delictis preces fudit Moyses, & exauditus obtinuit peccatorum suorum veniam, & condonationem. Nec minùs pro Mariâ sorore apud Deum vt condonaretur instabat, & petitum pòst dies septem obtinuit. *Iob offerebat holocausta pro singulis filijs suis, ne fortè*, inquit, *peccauerint filij mei; & sic faciebat cunctis diebus.* Daniel *vir desideriorum* & ieiunauit, & lugebat, & afflixit se in conspectu Dei sui trium hebdomadarum diebus pro populo Dei in captiuitate posito: Et Angelus Domini consolabatur eum dicens; *exaudita esse verba illius.* In veteri Testamento multa sunt eiusmodi testimonia, quibus apprimè asseritur

Exod. 32. ℣. 11. Deut. 9. 18. Nu. 14. ℣. 19. 11. ℣. 2. 16. ℣. 48. & alibi sæpe. Nu. 12. ℣. 13. Iob. 1. ℣. 5. Dan 10. ℣. 2. &c.

vnum Militantis alteri eiusdem succurrere iure posse, incenso, sacrificio, pœnitentiæ actibus, lachrymis, oratione, &c.

IV. Nec minora, nec pauciora sunt noui Testamenti verba idem apertissimè probantia. Ait enim D. ipse Paulus: *Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne meâ pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Euidentiusne quid desiderari potuit? Patitur D. Paulus pro Colossensibus, imô verò pro totâ Dei Ecclesiâ, & exultat in eo, quod poterit itâ pro alijs pati. At vanũ tale esset gaudium, si exindè emolumenti nihil aut Ecclesiæ, aut Collossensibus euenire potuisset.

Colos. 1. ℣. 24. vide s. 2. §. 4. n. 5.

V. Item: *obsecro* (ait) *primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate: hoc enim bonum est, & acceptum*

1. Tim. 2. ℣. 1.

acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Ergò certum est, posse nos, imò debere pro infidelibus ipsis orare, *vt ad agnitionem veritatis veniant*; & *pro omnibus hominibus* fidelibus, & infidelibus, *vt salui fiant.*

VI. Et vti hîc, & suprà pro alijs ipse, itâ & aliâs sæpè pro se aliorum manus implorat auxiliares. *Obsecro vos*, inquit, *fratres per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem Sancti Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus vestris pro me ad Deum*, &c. Instanter quidem hîc deprecatur, imò quasi coniurat Romanos, vt pro se orent, quasi magni momenti quid esset. Ergò & emolumenti certè quid indè nouit sibi accessurum. Similem pro se orationem ad Deum emẽdicat ab Ephesijs, Collossensibus, & Thessalonicensibus; & ab Hebræis; adeò sibi cordi fuit, & in hâc vitâ degenti necessariam, & proficuam æstimabat.

Rom 15. ℣. 30.

Ephes. 6. ℣. 19.

Colos. 4. ℣. 3.

Thess. 5. ℣. 25. 3. ℣. 1.

Heb. 13. ℣. 18.

VII. Et certè effectus euidentissimi

ſimi in D. Petro etiam dormiente ſecuti ſunt: apprehenſus enim, & *in carcere vinctus catenis duabus, quatuor quaternionibus militum tradebatur custodiendus*, & poſt Paſcha ab Herode producendus, vt morte ipſius *placeret populo. Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſiá ad Deum pro eo*. Et miraculoſa ipſius è vinculis, è carcere, è militum cuſtodiâ per Angelū facta libertas apparenter euincit non inaniter ab Eccleſiâ orationem pro eo continuam factam fuiſſe.

Act. 12. ℣. 5.

VIII. Imò ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus dum orandi modum Apoſtolis, & per illos nobis, & omnibus Chriſtianis præſcriberet, non pro nobis ſolis, ſed pro omnibus orandum docuit: non enim dicẽdum ait: *Pater mi*, at verò *Pater noſter*; nec petendum inquit *panem meum*, aut *da mihi*: aut etiam *dimitte mihi, debita mea*: vel denique *nè me inducas*, & *libera me*: at verò potius, *Panem noſtrum, da nobis, dimitte nobis, debita noſtra, ne nos inducas, & libera nos*: Plurali ſemper vtens,

Mat 6. ℣. 9.

etiam

etiam secundùm textum Græcum, non autem dualì. Vndè nisi voluntate affectatâ cæcutire velimus, intelligemus Christum Dominum non itâ expressè, & constanter alios nobiscum in orationibus nostris coniungendos instruxisse, nisi prout nobis, itâ & alijs orationes nostras profuturas prænidisset; Imò quoniam actiones ipsius omnes instructiones nostræ sunt, sicut verbo docuit, itâ & opere practicauit, vt exindè ad imitandum exempla habeamus. *Ego rogaui pro te Petre,* inquit, *vt non deficiat fides tua,* &c. Et alibi pro omnibus Apostolis, & longam satis, & efficacē nimis fudit orationem. Sed & in cruce pendens pro ipsis suis preces obtulit persecutoribus; *Pater,* aiens, *dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt.* In cuius imitationem D. Stephanus pro lapidantibus se exorauit; *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Quid multa! Omnes Christi in vitâ passiones, crudelissimaque in morte tormenta, quæ subijt, nobis & vniuersę Ecclesię profuere

Luc. 22. ℣. 32.

Ioa. 17. ℣. 9.

Luc. 23. ℣. 34.

Act. 7. ℣. 59.

fuëre ad redemptionem, & æternæ vitę consecutionem. At verò licet hoc certissimum sit, non est illicò affirmandum, Christum Dominum nunquam pro se orasse, quasi verò nullius indigeret. In horto enim passioni vicinus, ter, & instantissimè etiam vsque ad sanguinem ità preces pro se Patri obtulit: *Pater mi, si poßibile est, transeat à me calix iste.* Et in cruce moriens exclamauit voce magnâ: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Perque bona ipsius opera corporis sui gloriam promeritus est. Clarum hoc, nec pluribus agendum puto.

Mat. 26. 39.

Luc. 23. ỳ. 46.

IX. Verùm enimverò nè nausea lectori sit, vnum pro omnibus Patrem, pium illum Monachum D. Bernardum introducemus: qui licet antiquissimus non sit, sanctus tamen, & doctus est: & quod allegauero, è Scripturis sacris pulcherrimè pariter (vt sui moris est,) & efficacissimè probatum reliquit. Ille autem de infantum baptismate disputans communicationem fidei ait in Ecclesiâ haberi; quod certè

certè longè aliud est ab orationibus, satisfactionibus, & sacrificijs, de quibus hucusque, & intimior (vt ità dicam) coniunctio, & membrorum vnio, & commercium est. Sed ipsum audiamus. *Nemo mihi dicat quià non habet (infans) fidem, cui mater (Ecclesia) impartit suam inuoluens illi in sacramento, quousque idoneus fiat proprio non tantum sensu, sed assensu euolutam, puramque percipere. Nunquid breue pallium, vt non poßit ambos cooperire? Magna est Ecclesiæ fides. Nunquid minor fide Cananææ mulieris, quam constat & filiæ sufficere potuisse, & sibi? ideò audiuit: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut petisti. Nunquid minor fide illorum, qui paralyticum per tegulas demittentes, animæ illi simul, & corporis obtinuêre salutem? Denique habes: quorum fidem vt vidit, ait Paralytico: confide fili, remittuntur tibi peccata tua; & paulò post: tolle grabatum tuũ, & ambula, &c.* Si fides in Ecclesiâ Dei communicabilis est quid. ni & reliqua omnina bona Ecclesiæ satisfactoria spiritualia è charitatis fonte

D. Bern. ser. 66. in Cant.

fonte (quæ suijpsius est diffusiua, & *minùs quam inter duos haberi non potest*) emanantia, multò magis communicabilia habebuntur? habebuntur certè; sunt etenim.

D. Greg. hom. 17. in Luc.

X. Ideòque vbi huius discursus initium fuit, ibi & finis erit? *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem*: hoc est: Credo (liceat itâ dicere) in corpore, & animâ, Ecclesiæ sanctæ Catholicæ; in corpore, inquam, cum dixero *sanctam Ecclesiam Catholicam*; & in animâ, cum adiunxero *Sanctorum communionem*; Adeò enim operatur virtuosa, & efficax Dei gratia in hoc suo Ecclesię corpore, vt sicut in humano corpore membra viuida mutuam habent non solùm correspondentiam, verùm & veram influentiam: itâ & totius Ecclesiæ corporis membra vera, & viua omnis spiritualis beneficij participia fiunt omninò. *Particeps ergò ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua*: scilicet quicquid boni membrum Ecclesiæ totius vllum fecerit, sit apud

Psa. 118.

Ga-

Garamentas, & Indos, & ego Dei-custodiæ in Lotharingiâ, illius tamen particeps sum; & è conuerso: nec vllum loci distantia poterit adferre hâc in re impedimentum. Et totum hoc adeò in confesso est, vt etiam ipsi Nouatores non negent, imò & orationibus (si licet ità nominare) pro inuicem factis praxi quotidianâ confitentur: & ideò hic gradum sisto, vt ad alia conuertamur.

SEC-

SECTIO II.

DE THESAVRO ECCLESIÆ.

§. I.

Sectionum ſiue rerum continuatio.

INVENIMVS ergò Eccleſię tam generalis, quá particularis rerum ſpiritualium communionem, ita vt ſingula Triumphantis, Militantis, & Patientis membra reciproca ad inuicem percipiant beneficia: ſupereſt modò, vt videamus primò, quænam

quænam, & qualia sint illa bona spiritualia, in quibus Ecclesiæ totius, & particularis membra participant; & præcipuè scrutinium nostrum erit de bonis participialibus in Ecclesiâ hâc Militãte factis: ex illis enim solis resultat thesaurus ille noster inquirendus: tum quiâ illa sola sunt materies Indulgentiarum in thesauro Ecclesiæ reseruata, & â summis Pontificibus, & reliquis Ecclesiæ Prælatis, & Præsulibus distributa; tum etiam quiâ in hâc Militante solâ est verus, & vnicus merendi, & voluntariè, & liberè satisfaciendi locus. Deindè inquirendum est, num spiritualia illa Ecclesiæ bona, quorum membra quæque participant, sufficiant tantũ ad vniuersorum, seu singulorum satisfactionem, illamque solùm adæquent, an verò & superabundent. Enimverò si fortè superabundantiã inuenerimus, ille equidem excessus, quantulus cunque erit, cum sit bonorum magni pretij, seruari procul dubio debet, & in Gazophylatium

Ecclesię reponi ad futuras temporũ, & personarum necessitates, nè quid tanti momenti vanum, aut sine effectu bono inexpensum transeat. Id ergô primò expendendum, vndè thesaurus ille talis oriatur; deindè illius quantum iam in membrorum pias necessitates expensum sit, & ex hinc perspicuum erit, si quid restet necnè ad defectus Christianorum supplendos distribuendum.

§. 2.

De humanarum actionum bonarum naturâ, & qualitate.

I. IN ingressu huius controuersiæ consideranda primò actionum humanarum in gratiâ Dei productarum natura, vt dilucidiùs res enodetur, & clarè cognoscatur, quibus in rebus illa Ecclesiæ bonorum communi-

munio, & participatio consistat, & consequēter vndè thesaurus emanet. Certum ergô est, quamlibet actionem bonam duplicem in se continere valorem; incommunicabilem vnum, & communicabilem alium. Valor incommunicabilis triplex in se continet officium, effectumque producit triplicem: vtpotè agentem suum, & productorem bonū reddit, medetur, merentemque facit. Communicabilis autem est simplex: scilicet, qui vim habet satisfaciendi. Ex eo enim quod ieiunium est bonum, bonum etiam moraliter reddit ieiunantem in conspectu Dei, eidemque medicinam præbet contrâ concupiscentiam carnis, & gulam: sicut eleëmosyna contrà auaritiam, humilitas contrâ superbiam, &c. Necnon & ex eo quod procedit de charitate, quæ omnium virtutum est forma, vitam æternam promeretur operans: Et denique ex eo quod pænale sit, pænarum peccatis debitarum satisfactorium est. Priores autem tres effe-
 ctus,

ctus, quià non excedunt personã operantis sub vno comprehendimus valore. Quæcunque enim mea actio bona me solum bonificat, me meretur solum, solúmque me merentem facit, nec alteri cuiquam hâc in parte procurat quicquam. Alius etenim nullus iustus, aut charitatiuus, aut fidelis, aut obediens, humilísue, vel etiam constans, aut fortis, aut ieiunans æstimabitur, aut realiter erit per quemcunque actum, quem ego è naturâ talium respectiuè virtutum produxero, licet ex ijsdem ipse, qui eundem fecero, secundum actus naturam iure & dicar, & sim iustus, charitatiuus, fidelis, &c. Similiter ieiunauero ego, eleëmosynas dedero, humilitatis actum produxero, &c. quis, precor, alius exindè concupiscentię, vel auaritiæ, vel etiam superbiæ, aut sentiat in se, aut iure exindè poterit expectare medelam? ego autem in me omnem illam persentire potero medicinam. Denique cum talibus virtutum actibus, è charitatis

fonte

fonte promanantibus, & hoc solo respectu consideratis, merces quædam, & beatitudo æterna correspondeat, & debeatur, meum non est per meas solas virtutum actiones alteri cuilibet promereri quicquam; nec poterit quisquam beatitudinem adipisci perpetuam, ex eo solo capite, quod in virtutis tramite multum insudauerim ego. Hęc enim bonorum actuum virtus, & efficacia in ratione meriti, vt alteri quis quid promereatur, debetur solum actibus illis supereminētibus D. nostri Iesu Christi, qui solus potuit iustos nos ex iniustis facere, & beatitudinem nobis promereri sempiternam suis virtutum actionibus; & hoc ratione superexcellentissimæ vnionis hypostaticæ, quâ natura nostra humana diuinæ coniuncta in vnam coaluere personam.

II. Altero autem, hoc est, secundo illo satisfactionis modo, eædem virtutis honestiuæ actiones æstimatæ; vt nimirum in ipsarum naturâ inest labor, & in exequendo, seu operando

difficultas, pœnosæ quidē, & malefactorũ nostrorũ satisfactoriæ sunt, & personā operantem excedunt, communicabilesque omninò sunt. Eam enim pœnam, & peccatorum satisfactionem non solùm mihi ipsi, qui tales operationes produxi, proficere certum est; verum etiam, & id æquè certum, in Christi visceribus fratri ad culparum suarum satisfactionem donari à me posse, & erogari, Deoque ipsi pro dicto fratre ad eundem effectum offerri. Statuit enim Deus, vt creaturæ omnes adiumento sint homini ad finem suum faciliùs acquirendum, & in hoc sibi sint adiutores: Quid mirum ergò si homo homini subueniat, & in hoc sint *adiutores Dei*? qui non solùm *vult omnes homines saluos fieri*; sed etiam omnia sua merita, omnesque passiones ad redemptionem, & salutem æternam nobis elargitus est, & ideò vult hominem *adimplere ea, quæ desunt passionum Christi, pro corpore suo quod est Ecclesia*; & suo modo secum fratri suo subuenire. Di-

1. Cor. 3. ℣. 9.

1. Tim. 2. ℣. 4.

Coloss. 1. 24.

ctat equidem hoc ratio adeò euidenter, vt explicasse probasse sit. Certissimum namque est, aliquid me agere per actus meos pro fratre meo, dum pro eodem ieiunauero, vti fecit Moyses in monte, & Daniel in terrâ Chaldæorum; vel orauero, vt iidem multoties pro populo Israëlitico; vel pænitentiam egero, vti Iob: & item certissimum est, ipsum fratrē meum aliquid ex illis meis actibus lucrari, vti suprà apertissimè probatum est: at verò non ex ratione virtutis, aut honesti; non enim erit ieiunans, deuotus, & pænitens ex iisdem meis operationibus, ergô ex parte satisfactoriâ prouenit, quod recipiat emolumentum. Nec obstat illud D. Pauli: *Vnusquisque onus suum portabit*: vel similes alij Sacræ Scripturæ textus. Sit enim, quod *onus* ibi in bonam vel malam sumatur partem, intelligitur ille & omnes alij similes textus de meritoriâ, & demeritoriâ operum nostrorum parte, quâ scilicet mercedem & gloriam, seu pœnam promeremur

Deut. 9. ℣. 10.
Dan. 10. ℣. 2.
Iob. vlt. ℣. 10.
sect. preced. per totum.
Galat. 6. ℣. 5.

æternam; non autem de satisfactoriâ: vt etiam hoc ipso D. Pauli capite sexto liquidè constat. Imò ita diuersificat in hoc eodem capite, vt iure dici possit illum, vtrumque bonorum actuum declarasse valorem; meritorium scilicet, cum dicat: *vnusquisque onus suum portabit*: &, *quæ seminauerit homo, hæc & metet*; satisfactorium autem, cum priori textui immediatè subiungat, *communicet autem is, qui catechizatur verbo ei, qui se catechizat in omnibus bonis*; Et paulò antè præmiserit: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*. Duas autem has rationes, & valores diuersos in quacunque virtutis actione è sacris literis apparenter satis ostendemus.

℣. 5.

℣. 8.

℣. 6.

℣. 2.

III. Pro eleemosynæ piis actibus in die Domini, dum ad iudicandum venerit, dabitur regnum cæleste, & beatitudo æterna. Dicit enim Iudex: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnũ à constitutione mundi: Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: Sitiui*, &c. En meritum regni, quod virtutis rationi correspondet,

Mat. 25. 34.

quodque agenti debetur, nec alteri erogari potest. Imò *multis diuinarum Scripturarum testimonijs edocemur*, ait D. Leo, *quantum eleemosynarum meritum, & quanta sit virtus*. At è conuerso legimus hoc: *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleëmosyna resistit peccatis*. Ac item: *Eleëmosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata*. Et dictum illud Danielis ad Nabuchodonosor Regē: *Quamobrem Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleëmosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum; forsitan ignoscet delictis tuis*. Dictum suum adijciat D. Ignatius Martyr: *Eleemosynâ, & fide peccata expiantur*. Et D. Polycarpus: *Eleëmosyna de morte liberat*. Et D. Cypr. *Eleemosynis, atque operibus iustis delictorum flamma sopitur*. Et D. Chrysostomus: *Non est peccatum, quod non posit purgare eleemosyna*. Eleëmosyna ergô, quâ virtus & honesta est, meretur cœlum; quâ pænalis & ardua, est peccatorum satisfactoria, & expunctiua.

D. Leo. ser. 1. de collect.

Ecclef. 3. ℣. 33.

Tob. 12. ℣. 9.

Dan. 4. 24.

D. Ignat. epist. ad Heron.

D. Policarp. ep. ad Philippen.

D. Cyprian. de opere & eleëm.

D. Chry. ho. 25. in acta.

IV. Idem prorsus de ieiunio dicendum,

Matt. 6. ℣. 17. cendum. Dicit enim Dominus: *Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam laua, nè videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito; & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Meritum ex hinc patet, cui merces reddenda; placebit enim ex hinc Patri cælesti, quiâ honestum est, & virtutis opus sine fuco, & omni vanâ gloriâ vacuum, & consequenter remunerabitur â Patre. Quæram ergô cum D. Ambrosio, *qui sunt hi præceptores noui, qui meritum excludunt ieiunij?* At verò è contrâ Rex Niniuë præcepit, *homines, & iumenta, & boues, & pecora non gustent quicquam, nec pascantur, & aquam non bibant, & operiantur saccis homines, &c. Et vidit Deus opera eorum, quiá conuersi sunt de viâ suâ malâ, & misertus est Deus super malitiam quam locutus fuerat eis, & non fecit.* Et Moyses ait: *Et procidi ante Dominum sicut prius quadragintá diebus & noctibus, panem non comedens, & aquam non bibens, propter omnia peccata vestra, quæ gessistis contrâ Dominū, &*

D. Amb. epist. 82. ad Ecclesiā Vercellensem.

Ionæ. 3. ℣. 7.

Deut. 9. ℣. 18.

& cum ad iracundiam prouocastis, &c. Et subdit: Et *exaudiuit me Dominus, etiam hac vice*. Per *ieiunium* (ait D. Basilius) *satisfacito Deo: quoniam non ieiunauimus exulamus è Paradyso. Ieiunemus igitur, vt ad illum postlimino reuertamur.* Ex hinc valor satisfactorius ieiunij patet: satisfecerunt enim Niniuitæ, ieiunantes pro peccatis, & gratiam obtinuerunt: satisfecit item quadragintâ dierum ieiunio Moyses pro omnibus populi peccatis, & exauditus est; non est ergô quod hîc insistamus.

D. Basil. ho. 1. de laudibus ieiunij.

V. Nec tacenda est orationis efficacia, quę reliquis virtutum operibus hâc in parte omninò similis esse in Scripturis sacris declaratur. *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuũ in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Meritoria certè erit isthæc oratio, quæ mercedem à Patre cælesti obtinebit; honesta ergô, & è ratione virtutis; aliâs Deo patri placeret minimè. At verò vice versâ dum Deus

Mat. 6. ṽ. 6.

iratus

iratus nimiùm in populum Israëliticum propter vituli aurei adorationem, eum delere decreuisset; *Moyses* orabat *Dominum suum dicens : Cur irascitur Domine furor tuus?* &c. & illicò ad orationis ipsius finem subiungitur: *Placatus est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum.* Et alibi orans Moyses pro populo nolente intrare in terram promissionis, & ob hoc multùm murmurante, orationem suam sic concludit: *Dimitte Domine, obsecro, peccatum populi huius secundum magnitudinem misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto vsque ad locum istum.* Et immediatè subsequitur: *Dixitque Dominus: dimisi iuxta verbum tuum.* Satisfactoriè equidem orauit Moyses, dum iram placârit Dei, Deoque per suas preces pro peccatis populi satisfecerit. Tanta est enim orationis efficacia, vt ausus sit D. Chrysostomus dicere, quod *etiamsi nos peccatis refertos precatio deprehenderit, celeriter purgatos reddit.*

Exod. 32. 11.

Num. 14. 19.

D. Chry. lib. 1 de orando Deum.

IV. Idem

VI. Idem de quocunque virtutis actu dicendum: in hoc enim generaliter, & sine exceptione vllâ pares sunt virtutes omnes: cuiuscunque enim actionis bonę meritum, & merces, virtutis, & honesti rationi correspondentia sunt; *debetur* enim *merces bonis operibus, si fiant*, ait Arausicanum Concilium. Satisfactio autem pro peccatis, & venię impetratio pro ijsdem, eiusdem actus labori arduo, & difficultati pænali reciprocę sunt omninò, & hoc *magisteria diuina docuerunt: operationibus* scilicet *iustis* Deo *satisfieri*. Vtrumque autem hunc valorem pænitentiæ actibus tribuit D. Chrysostomus, dum ait: *Agamus pænitentiam, etiamsi Indulgentiæ modum peccata excedere videantur; & non modò veniâ peccatorũ, verùm etiã præmiorũ gloriâ perfruemur.* Nec minus facit eleëmosyna; de eâ enim D. Augustinus tractans ait: *Perparum est quod in eleëmosynis datur, sed cum piè datur, æternum indè meritum comparatur.* Et alibi in vniuersum asserit, quod *vita æterna est*

Arausicanum Conc. 2. can. 18.

D. Cyp. de opere & eleëmosyn.

D. Chry. in cap. 3. Mat. ho. 10.

D. Aug. l. contra aduersariũ legis, & Prophet. ca. 16.

Idem li. de moribus Ecclesiæ Cathol. ca. 25.

est totũ præmium, cuius promissione gaudemus; nec præmium potest præcedere merita, & prius homini dari quam dignus est. Quid enim hoc iniustius? & quid iustius Deo? Non ergô debemus poscere præmium, antequam mereamur accipere. Sequitur enim ex hoc, quod bonum opus est meritorium: non enim mereri possumus nisi per illud; & quiâ meritorium, dignum est vt recipiat mercedem, quam *reddet Deus iustus Iudex.* Et alibi etiam pro satisfactoriâ parte sic loquitur: *Facilè curatur vulneribus peccatorum, qui necessitatem curauerit pauperum.* Et paulô infrà: *Sufficit ad gloriam dantis, quod per alterius inopiam peccatorum accipiat indulgentiam.* Et alibi: *Sicut aqua extinguit ignem, itá eleëmosyna peccatum: in horreis nostris habemus abundantiam, quæ flammas nostras oblatione vnius panis extinguat*, &c. Certè hæc est eleëmosynæ satisfactoria pars. Sed quid plura? vno verbo vtrumque declarat eleëmosynæ valorem, dum ait: *Fœlix operarius cultor eleëmosynarum, eo quod ær*

Idem ser. 76. de tempore.

libr. 50. hom. 59.

Idem ibidem.

ære suo comparauerit cælum, & dans panem esurientibus, delictorum suorum presserit incendium.

VII. Plures hâc in materiâ tam euidenti allegare Patres superuacaneum certè erit: cum certo certior sit conclusio nostra, nec â quoquam iustè refragari poterit: sufficiant igitur isthęc tam clara testimonia. Ideóque ad Ecclesiæ thesaurum inuestigandum, ea tantum pars operationum nostrarum bonarum consideranda est, quæ satisfactioni subest; vtpotè quatenus sunt pænales actiones nostræ, & peccata diluentes, pro ijsdemque satisfactoriæ: meritoria enim illa portio eorundem actuum, quâ æterna cælestis patriæ beatitudo ob eorundem praxin debetur operanti, vel quæ sit medicinalis, vel bonificans pars, quiâ alteri cuicunque Ecclesiæ membro incommunicabilis est, ad rem nostram nequaquam pertinet. Communicabilis autem cum sit satisfactoria pars, iure merito quæritur, an omnia Ecclesiæ membra simul-

mul, vel vnumquodque seorsim produxerint bonorum operum actiones satisfactorias sufficienter ad æqualitatem debiti vniuersalis, vel particularis respectiuè pro naturâ, qualitate, & grauitate delictorum suorum; an verò superabundanter, itâ vt excedant in satisfactione pænali delictorum debita, & obligationes: vel etiam num deficienter, itâ vt non satisfecerint in parte, vel fortè in toto. Sed in sequenti capite de hoc pleniùs. Cum ergô ad thesaurum hunc inquirendum de bonis operibus fiet mentio aliquandò, itâ accipienda sunt talia opera, vt de satisfactoriâ parte, non de meritoriâ aut alijs intelligenda sunt.

§. 3.

§. 3.

Quod quædam satisfactoriæ actiones vim suam retineant, etiam mortuo agente.

I. ANtequam ad thesauri inuestigationem accedamus, adhuc de hoc determinandum putamus dubio: num scilicet actiones nostræ satisfactoriæ vim vllam & efficaciam habeant in viâ satisfactionis, etiam nobis mortuis, & è vitâ hâc sublatis: si enim nobiscum moriantur, certè thesaurus Ecclesiæ exiguus valdè futurus est; præsertim cum decrepitâ hâc mundi ætate valdè simus imperfecti; & ideò est, quod hunc instituerimus §. vt quid in hâc materiâ statuendum sit, sciamus.

II. Sunt ergò istæ Iesu Christi, & Sanctorum eius actiones piæ, quâ satisfactoriæ, dupliciter à nobis cōsiderandæ,

randæ. Aliquæ enim iam Diuinæ Maiestati oblatę sunt, ad satisfaciendum ipsius iustitiæ; & hoc vel pro pænâ suis (quæ ipsi commiserunt operatores (peccatis debitâ, vel scilicet per propriam applicationem, vel Dei determinationem: vel forté per ipsos productores applicatæ sunt, & donatæ alijs quibusdam Ecclesię membris. Et hæ omnes proprium iam sortitę sunt effectum, & suo fine ità potitæ sunt, vt vlteriùs nil habeant ad agendum in hoc respectu, nec reuiuiscunt vlteriùs ad opus aliud eius naturæ. Sunt autem à Christo, & Sanctis eius adhuc aliæ operationes satisfactoriæ productæ, quę nondum suum sortitę sunt effectum, & necdum diuinæ iustitię oblatæ sunt ad satisfaciendum pro quocunque debito; sit proprio, vel alieno; hæ autem vocantur actiones superogatoriè satisfactoriæ: de quibus solis nobis est quæstio, ad inueniendum Ecclesiæ sanctæ Indulgentiarum thesaurum. Dari verò tales satisfactorias operationes in generali

nerali in rerum naturâ, probauimus §. præcedenti: communicabiles autem eas esse in Ecclesiâ, saltem quamdiù viuimus, probatum est sectione præcedenti quasi per totum: & quod dentur tales supererogatoriè satisfactoriæ Iesu Christi, & Sanctorum actiones, in duobus subsequentibus §§. speramus probatum fore: hîc ergô deníque conabimur ostendere, eas, etiam mortuis agentibus, superviuere, & vim suam satisfactiuam communicabilem alijs adhuc retinere, & consequenter in Ecclesiâ conseruari.

III. His ità suppositis, sic argumentor primò; Omne quod producitur, propter finem aliquem producitur, & obtento fine præmiatur & quiescit: at proprius finis actionis satisfactoriæ, quatenus talis, est satisfacere Dei iustitiæ pro pœnis peccato debitis: ergô eo solo perficitur, expletur, & præmiatur. At verò opera satisfactoria Iesu Christi, & B. Virginis (quę nunquam peccauit, vt posteà probabimus)

§. 5. seq. n. 3. ibid. nu. 4. & seq.

bimus) & aliorum Sanctorum Dei (qui plus satisfecerunt, quam pro suo quoto necessarium erat; vt ibidem dicemus) in ipsis operantibus; hoc consortiri, & expleri fine nullo modo poterunt; ergò debent alijs applicari, in quibus eum sortiantur effectum; nec perdunt suam satisfaciendi vim, & naturam, vsque dum suo fine compleantur. Sequela patet: quia aliàs nullo modo poterunt Christi, B. Virginis, & tales superabundantes Sanctorum operationes satisfactoriæ, quà satisfactoriæ, suo fine præmiari. Non in ipsis, quia vel nihil habuerunt satisfaciendum, vel iam satisfecerunt per alias similes satisfactiones præcedentes: nec in alijs; quia (vt supponitur) non poterunt alijs applicari: ergò in nullis. Et ex hinc sequetur manifestè, quod illæ tales Christi, B. Virginis, & Sanctorum actiones satisfactoriæ, verè non erunt satisfactoriæ; quod probatur euidenter sic. Omnis actus virtutis est ex suâ naturâ arduus & pœnosus; ergò omnis actus virtutis potest

test ex suâ naturâ applicari in pœnam peccati: sed quicquid potest ex suâ naturâ applicari in pœnam peccati, est ex naturâ suâ satisfactorium: ergò omnis actus virtutis est ex suâ naturâ satisfactorius. Totumq hoc probatum est suprà. Quod autem est de naturâ & essentiâ, ità competit omnibus & singulis, vt non possit auferri ad libitum ab eorum aliquo sinè illius destructione, à quo aufertur. Sed esse satisfactiuum est de naturâ & essentiâ omnis actus virtutis: ergò ità competit omnibus & singulis, vt non possit ab eorum aliquo auferri sine destructione illius, à quo aufertur. At verò nisi affirmemus illos Christi, & B. Virginis, & Sanctorum actus virtutum applicabiles esse alijs post ipsorum mortes, auferetur eorum natura & essentia, ratio scilicet satisfactionis: sed non potest hæc ab illis auferri sine ipsorum destructione: ergò sunt applicabiles post eorum mortes. Maior probatur: Christi actiones vt satisfactoriæ adeò sunt infinitæ, vt exce-

excedant omne totius mundi peccatorum debitum, vt probabimus infrà; §. 4.
nec potuit ille habere quid satisfaciendum pro se: nec habuit quid pro se satisfaciendum B. Virgo; & Sancti multi multos patientiæ satisfactiuæ actus produxêre in ipsâ morte, vtporè Martyres, vt infrà probabimus: ergò nisi applicabiles sint isti actus post mortem agentium, non poterunt applicari omninò: ergô deficient in hâc suâ essentiâ & naturâ satisfactionis. §. 5.
Et confirmatur: quiâ frustrà fit potentia, quę non potest vnquam reduci ad actum: sed impossibile aliâs esset his talibus actibus assignare rationem satisfactiuam, quæ ponatur extrâ causas, & quâ tales satisfactiui actus reducantur ad actum: ergô vel reducuntur ad actum in alijs, vel certè tales Christi, B. Virginis, & Sanctorum actus non sunt satisfactorij. Nec sufficit dicere, quod aliquis eorum actus est satisfactorius, & alius non. §. enim præcedenti probáuimus satis euidenter omnes actus virtutis, quâ pœnales

 &

& ardui sunt, esse satisfactorios; non enim potest assignari ratio, quare hęc virtutis actio sit satisfactoria magis quam illa: sunt enim omnes vt essentialiter bonæ, itâ & essentialiter arduę: ergô vel omnes vel nullę sunt satisfactorię: si omnes, habemus intentum, quiâ cum non possint omnes (dum viuunt agentes,) fine potiri, vt suprà: ergô debent aliquę post mortem illorum applicari. Sîn nullæ: ergô Christi, B. Virginis, & Sanctorum tales actiones non sunt satisfactoriæ: ergô neque alię vllæ. Quod si hoc absurdissimum sit, & hęreticum omninò affirmare nullas Christi, B. Virginis, & Sanctorum actiones fuisse aut essę satisfactorias, *cum pro impijs*, imò *pro omnibus mortuus sit Christus*, & *peccata nostra pertulerit in corpore suo super lignum, cuius liuore sanati sumus*: absurdissimum item erit, & hęreticum affirmare aliquas actiones bonas, & virtuosas non habere eandem satisfactoriam in se rationem, & alias habere: cum omnis virtutis actio ardua& diffici-

Rom. 5. ℣. 6.
2. Cor. 5. ℣. 15.
1. Pet. 2. ℣. 24.

difficilis, & laboriosa, & pœnalis sit, vt probatum est suprà: & consequenter omne satisfactorium opus quatenus tale debet secundùm diuinam iustitiam stante lege suo coronari fine, eo præmiari & remunerari; & consequenter sunt omnes illæ satisfactoriæ actiones, quâ satisfactoriæ, applicabiles aliis, itá vt Sancti, qui eas produxêre, hoc modo iure dicantur, non in se, sed nobis remunerari. Ergô sequitur necessariò, quod actiones satisfactoriæ Christi & Sanctorum, quę nondum sunt applicatæ ad effectum satisfaciendi, remaneant adhuc in Ecclesiâ, ex suâ naturâ applicabiles; vel per Deum, vti sæpius fecit in veteri Testamento, dicens; *Propter Dauid seruum meum: propter Abraham, &c.* Vel per Prælatos Ecclesiæ, vti sæpiusculè Moyses obtulit satisfactoria Sanctorum pro peccatis populi, cum ait: *Recordare Abraham, Isaac, & Israel, &c.* Vel denique actualiter, aut virtualiter per ipsum operantem, intentione ad hoc determinante.

§. præcedenti.

3. Reg. 15. ℣. 34. Gen. 26. ℣. 24. Exod. 32. ℣. 13.

IV. Se-

IV. Secundò probatur idem: Vnitas corporis Christi seu communio membrorum in Ecclesiâ exigit, vt qualibet bona suorum ciuium, quæ vtilia esse poterunt Reipublicæ Christianæ, itâ sint vel â Spiritu sancto Ecclesiam gubernante, vel ab Ecclesiâ, vel ab ipsis operantibus ordinata, vt cedant omnia & singula in vtilitatem ipsius Ecclesiæ, membrorumque eius ad inuicem: at verò opera satisfactoria supererogationis cedere possunt in vtilitatem Ecclesiæ: ergô omnia illa satisfactoria opera supererogatoria ordinata sunt in vtilitatem Ecclesię, membrorumque eius ad inuicem, vel à Spiritu Sancto, vel ab Ecclesiâ, vel ab ipsis operantibus actualiter vel virtualiter. Maior patet ex eo quod tam pretiosum bonum perdi non debet; tùm etiam, quia aliâs vt quid laborabant Sancti; vt quid D. Virgo; vt quid Christus ipse tam copiosè, & vltrâ suam quotam satisfactionum supererogatarum cumulum aceruare insudarunt, si statim ab eorum morte

&

& obliuioni traderetur; imò & vili, fortè nihili penderetur; saltem nullius efficaciæ esse inueniretur, dum neque ipsi eo indiguerint in vitâ, neque poterunt exindè remunerari post mortem vllâ gloriosâ, cùm ipsarum natura sit satisfactionum exolutiua, & ex eo præmientur, si exoluant pœnas debitas peccatis, nec denique in vllius alterius cederet emolumentum? At vana certè non est Christi, & Sanctorum spes, nec frustranea eorum hâc in parte expectatio, quiâ efficacissimæ sunt, etiam modò, ipsorum operationes satisfactoriæ etiam ipsis vitâ functis: & proindè verissima est illa nostra maior propositio; Minor autē probata iā est sectione præcedēti per totū; vbi ostēdimus euidēter vnum Ecclesiæ membrū posse pro altero satisfacere, suasque pro alio offerre Deo satisfactiones ex propriâ applicatione; vt pluribus patet: & ex applicatione Dei; vt patet in sacrificio, & pęnitentiâ Iob pro amicis suis, etiā ex præscripto Dei; & ex eo quod sæpius Deus commemoret bona ope-

ra Abrahæ, Isaac, & Iacob, eaque acceptet in satisfactionem suæ iustitiæ pro peccatis populi: & ex applicatione Prælatorum Ecclesiæ, vti Moyses obtulit bona opera Sanctorum Abrahæ, Isaac, & Iacob Deo pro populi peccatis. Et consequentia bona est; ac proindè, cum omnia illa supererogationis satisfactoria Christi, & Sanctorum eius opera vtilia sint Ecclesiæ & membris eius, perdi non debent: cùmque applicabilia sint alijs, vel ex naturâ suâ, vel per dispositionem diuinam, vel ex ordinatione Ecclesiæ, vel intentione actuali aut virtuali operantis, vel omnibus his modis: & denìque cum pœnarum pro peccatis debitarum ex naturâ suâ iustitiæ diuinæ satisfactionem exoluentia sint, & hoc non solum dum viuit operans, sed etiam post mortem eius: dignum, & iustum est, imò certum est ea in gazophylacio Ecclesiæ piè reseruari, & pro indigentium necessitate religiosè & misericorditer distribui debere, & applicari.

V. Nec

4. Reg. 2. ℣. 15.

V. Nec desunt Scripturæ, & Patres idem affirmantes, Habuit enim Eliæ meritum tantam apud Deum gratiam & efficaciam; etiam post raptum eius in cælum, vt per illud obtinuerit Eliseus duplicem Eliæ spiritum; & effectus subsecutus est in tantum, vt qui anteâ Propheta non fuerat, posteâ Propheta máximus euaserit. Licet autem non sit mortuus Elias, tamen ab hâc Ecclesiâ militante translatus est, & in alio â nobis separatus loco Deo intimiùs multò coniunctus viuit, quod ad idem est. Quod autem fuerit post raptum, patet: quia recedeunte Eliseo, Iordanis aquæ non sunt diuisæ etiam pallio Elię percussæ, vsque dum expostulârat de meritis Elię, & tunc primùm percussę aquæ diuisæ sunt, & pertransijt Eliseus. Valuêre ergô non tantum post raptum ipsius merita, sed & alteri profuêre.

VI. Et ipse Eliseus mortuus, & iacens in sepulchro tantam propter bonam in virtutis tramite transactam vitam, gratiam apud Deum promeruit, vt proiectum hominem mortuum

ad contactum sui corporis resuscitarit ad vitam. *Quidam sepelientes hominem mortuum viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in sepulchrum Elisei; quod cum tetigisset ossa Elisei, reuixit homo, & stetit super pedes suos.* Nec accidit hoc ex fide proijcientium, quia nihil minus hoc miraculo aut beneficio cogitarunt, & multò minus ex aliquâ petitione, aut alio merito mortui, cum nihil de eo dicat Scriptura, nisi quod cum mortuus fuerat, resuscitatus sit ad vitam; imò equidem ex contextu videtur in honorem Elisei solius relatam esse historiam: & confirmat hoc D. Cyrillus, dum ait: *Vt autem non solum anima Sanctorum honoretur, credaturque quod etiam in corporibus mortuorum insit virtus seu potentia, iacens in sepulchro Elisei mortuus, mortuũque corpus Prophetæ attingens viuificatus est, atque ità mortuũ corpus Prophetæ perficit opus animæ, & mortuũ iacensq; præbuit vitã defuncto, exhibensque alteri vitam ipsum nihilominus mortuũ permansit. Quâ de causâ? Ne si resurrexisset Eliseus, factum id solum animæ adscribatur;*

4. Reg. 13. 21.

D. Cyril. Hierosl. Catech. 18.

& vt demonstretur, quod absente etiam animâ inest virtus quædã eiusmodi corporibus Sanctorum propter tot annorum inhabitatas in illis animas iustas, quorum ministerio vsi sunt. Hæc autem virtus & efficacia in corporibus mortuorum remanens non ex alio prouenit fonte, nisi ex operibus sanctis in ijs dum adhuc viuerent practicatis.

Act. 9. ℣. 36. VII. *In Ioppe fuit quædam discipula nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas: hæc erat plena operibus bonis, & eleemosynis quas faciebat. Factum est autem in diebus illis vt infirmata moreretur, &c. Et cum aduenisset Petrus, duxerunt illum in cænaculum, & circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas, quas faciebat illis Dorcas. Et eiectis omnibus forâs Petrus ponens genua orauit, & conuersus ad corpus dixit, Tabitha surge; at illa aperuit oculos suos, & viso Petro resedit, &c.* En opera bona, & eleemosynas Tabithæ tantum valuisse etiam post mortem, vt ipsa mereretur reuocari ad vitam. Si mihi non credis, audi D.

Cy-

Cyprianum: *Tabitha operationibus iustis & eleemosynis præstandis plurimum dedita, cum infirmata esset & mortua, ad cadauer exanime Petrus accitus est: mors suspenditur & spiritus redditur, & mirantibus & stupentibus cunctis ad hanc denuò mundi lucem rediuiuum corpus animatur: tantum poterunt misericordiæ merita, tantum opera iusta voluerunt.* Etiam D. accipe Chrysostomum: *Quis eleemosynam exhibens morte superior factus est? Ne tumultueris amice; sed ipsis ex rebus disce quomodò eleemosynæ virtus & huius superauit imperium. Tabitha quædam mulier fuit, quæ Dorcas dicitur interpretata,* &c. *Vidisti medicaminis virtutem: hanc omnes nobis comparemus,* &c. En Eleëmosynæ post mortem efficaciam.

D. Cypr. de opere & eleëmosynis.

D. Chry. [illegible] 33. ad populū Antiochen: & ho 55. in Genes.

VIII. Necnon & D. Basilius in eum sensum: *Nunc è diuerso, Martyris ossa quisquis attigerit, ob gratiam corpori insidentem fit quadantenus sanctificationis particeps:* vtique hoc propter virtutes in vitâ operatas.

D. Basil. ho 135. in psal.

IX. D. quoque Gregorius Na-

zianzenus

D. Greg Nazian. Iambic. 18.

zianzenus non minora ait.

Quin & sepulchra, sacra vbi olim corpora
Iacuére, prauos spiritus pellunt procul.
Hæc mira pugiles in dies patrant mei.

D. Chr. ser. 35. de virtutibus.

X. Addamus & D. Chysostomum, qui alibi ait: *Sicut virtus erat in veste Pauli, & vmbrá Petri ad sanandos ægrotos: itá in Sanctorũ cineribus ad expellendos dæmones.* Vide plura superiùs.

c. 1. §. 1. 5. 2. n 14. §. 3. n 7.

Ex quibus omnibus euidens est operationes nostras bonas vim & efficaciam suam retinere, etiam nobis vitâ functis, & consequenter vim illam saltem quoad partem satisfa-ctiuam piè reseruari in Ecclesiæ gazophylacio ad futuras necessitates.

§. 4.

Thesaurus Ecclesiæ resultans ex passionibus Iesu Christi Domini nostri.

I. THesaurus ille satisfactionum è duplici fonte in Ecclesiæ ærarium emanat: è meritis scilicet, & passionibus, & satisfactionibus Domini nostri Iesu Christi, & Sanctorum eius: omnes enim pij addunt aliquid Ecclesię thesauro, prout affirmat D. Anselmus. *Ad commune hanc quasi rempublicam nostram quisque pro modulo nostro exoluimus quod debemus, & passione virium nostrarum quasi Canonem passionum nostrarum inferimus. Partitio plenaria non erit passionum omnium, nisi cum seculum finitum fuerit.*

D. Ansel. in ep. ad Colos. c. 1. ỷ. 24.

II. De Iesu Christi meritis, & satisfactionibus non multum laborandum; cum certum sit, omnes & singulas

 gulas

gulas ipſius actiones, ratione vnionis hypoſtaticæ naturam humanam cum Deitate colligantis, infiniti fuiſſe valoris, & quantum ad meritum, & quantum ad ſatisfactionem. Quod ſic probo euidentiſſimè. Actionis bonæ valor ęſtimatur iuxtâ proportionem dignitatis in agente; at agens eſt infinitæ dignitatis: Ergô & ipſius actiones debent eſſe infiniti valoris. Maior patet; Minor eſt euidens, quiâ Deus eſt agens, nempè Deus eſt qui redemit Eccleſiam; ergô actus redemptionis eſt infiniti valoris. Probatur antecedens ex illis D. Pauli verbis ad Epiſcopos Epheſinos, & Melitenſes: *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Deus ergô erat, qui *ſanguinem ſuum fudit pro Eccleſiâ ſuâ.* Redemptio ergò noſtra valorem habere debet à perſonâ Dei, nec ſola redemptio noſtra, ſed & omnes aliæ Chriſti actiones in tantum ſunt perfectiores, in quantum procedunt ab ip-

Act. 20. ℣. 28.

sâ secundâ Diuinitatis personâ. Notandum verò est, nos non itâ asserere Deum nos redemisse, quasi Deus in suâ mortuus vel passus quicquam fuerit Deitate, quâ Deitas est: sed quod illa persona quæ Deus est, passus sit in suâ humanitate, quæ humanitas subsistit per vnam & eandem filij Dei personalitatem sibi hypostaticè coniunctam; attribuentes omnes illas actiones cum D. Petro *Christo in carne passo*. 1. Pet. 4. ṽ. 1.

III. Cum ergò adeò certùm sit vnamquamque Christi actionem infiniti valoris in ratione meriti, & infiniti etiam valoris in ratione satisfactionis omninò fuisse, itâ vt vel vna sola Deo Patri ad mundi redemptionem oblata suffecisset, & plus quam sufficienter satisfecisset; quid dicemus? quid cogitabimus? vel quem valorem habuisse æstimabimus innumerabiles illas, & pænibiles valdè actiones, & passiones meritorias, & satisfactorias à se pro humanæ naturæ debito soluendo factas, & perpessas in

Natiuitate, in Circumcisione, in toto vitæ decursu, & in lamentabili illo crudelissimæ mortis genere, vbi tantas sanguinis sui pretiosissimi guttarum myriades, quarum vel minima mille mundorum, si necesse esset, redemptioni satisfecisset, effudit abundanter. *In Christo enim exiguæ cruoris guttæ* (inquit D. Gregorius Nazianzenus) *orbem vniuersum restaurauerunt.* Verè de illo D. Paulus ait: *Vbi abundauit delictum, superabundauit gratia.* Et vti longè ante illum Regius Propheta verè cecinit: *Copiosa apud eum Redemptio.* *Copiosa* ergo, imò abundans, imò equidem superefluens humani generis *apud illum Redemptio.* Quid igitur? perdendane est illa superefluentia? haud equidem. Pretiosa nimis est, & magni æstimanda. Piè igitur recondenda in thesauro Ecclesiæ ad vsus necessarios, & ad temporum personarumque necessitates subleuanda reseruanda.

D.Greg. Naz. orat. 42. quæ est 2. in Pascha.

Rom. 5. ℣. 2

Psa. 129. ℣. 7.

IV. Et iterum: *Pro omnibus mortuus est Christus.* Et: *Ipse propitiatio pro pec-*

2. Cor. 5. ℣. 15.

1. Ioa. 2. ℣. 2.

catis nostris : non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Sanguis *Christi* (inquit Origines) *tam pretiosus fuit, vt solus pro omnium redemptione sufficeret.* Quis ambiget ? *Impij hi hæretici perditionis sunt filij* (ait D. Cyrillus) *& semen iniquum, vti qui Dominum, qui illos redemit, negent.* *Effusio iusti sanguinis Christi* (inquit Caius Papa) *tam fuit diues ad pretium, vt si vniuersitas captiuorum in* Redemptorem *suum crederet, nullum Diaboli vincula tenerent.* Et D. Augustinus : *Venit Redemptor, & dedit pretium, fudit sanguinem suum, & emit orbem terrarum: Quæritis quid emerit ? Videte quid dederit; & inuenite quid emerit.* S*anguis Christi pretium est : tanti quid valet ? quid nisi totus orbis ? quid nisi omnes gentes ?* Itâ, vt si totus mundus baptizaretur, & statim â baptismo moreretur, illicò & recto tramite in cœlum transferretur sine vlteriori peccatorum satisfactione, & hoc solum ratione immensi thesauri meritorum, & satisfactionum Iesu Christi in Ecclesiâ reseruati

Orig li. 2. epist. ad Ro.

D Cyril. Alexan. hom. Ephesi in Nestor. dictâ.

Caius Pap. ep. ad Fælicem Episc.

D. Aug. enarrat. in Ps. 95.

& in baptiſmo applicati in peccatorum reatus abſolutionem, & pœnarum peccatis delinquentium debitarum recompenſationem. Quod cum verum ſit pro Iudæis certè, pro Turcis, Infidelibus, hæreticis, excommunicatis, pro reprobis, &c. *pro omnibus* & ſingulis prçteritis, præſentibus, & futuris, *pro totius mundi* mortuus eſt; & *copioſa*, etiam pro illis omnibus *redemptio*; & *vbi* etiam inter illos *abundauit delictum, ſuperabundauit* (ſi velint eâ vti) *gratia*. Multò autem maxima pars totius orbis eſt malorum hominum multitudo: *lata* enim *porta, & ſpatioſa via eſt quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam*: nec multum habent emolumenti omnes iſti, fortè omninò nullum recipiunt eorum quidam, ex totâ illâ *copioſá redemptione* pro ipſis Deo Patri oblatâ. Et quid (precor) fiet de magnificentiſſimis illis Ieſu Chiſti bonis? quid de lachrymis? quid de ieiunijs, vigilijs, orationibus? quid de ſanguine ipſo effuſo? quid in vniuerſum de omni-

Matt. 7. ℣ 13.

omnibus eius passionibus, & satisfa-
ctionibus pro istis miserè, & volunta-
riè pereuntibus in redemptionem
præparatis fiet? quid de illis (inquā)
statuendum? perditûmne ibunt? In-
iuria certè nimia erit. In gazophyla-
cio potius Ecclesiæ sanctæ reserua-
buntur expēdēdæ in *filios adoptionis*,
prout æquum & bonum Ecclesiæ vi-
sum fuerit in Domino expedire.

V. Denique certissimum est hoc,
thesaurum in Ecclesiâ esse maximum
meritorum, & satisfactionum Chri-
sti Iesu dispensabilem vniuersis
Christi fidelibus per Ecclesię mi-
nistros in Sacramentis, nec posse
quemquam hominum absolui ab ipsâ
peccati maculâ per ipsius Baptismi,
per Pænitentiæ, alteriusuè Sacramen-
ti susceptionem, nisi per meritorum,
& satisfactionum Christi applicatio-
nem: nec fit hæc dispensatio nisi per
Sacramentorum ministros. Necnon
& extrâ Sacramenta tantam habent
vim Iesu Christi merita ergâ nos, vt
nobis aperuerint regna cælestia priùs

clauſa, mereantur nobis primam g
tiam, reconcilient Patrem, en
giam dent fundamentaliter omnil
operibus noſtris, vt bona ſint, & pr
cipaliter promeruerint pro nobis
tam æternam: itâ vt diſpertian
ipſius Ieſu Chriſti merita per ſin
las ætates etiam extrâ Sacrame
omnibus, & ſingulis Chriſti fideli
eis benè vti volentibus: adeò vt r
hi ſolùm, qui modò vitam degu
ſed & qui præceſſerunt, & qui ſ
ſequentur nos, portiones ſibij
proportionatas exindè receperu
& recipient in futuris temporibus
que ad conſummationem ſæculi:
vt duplicem vim habeant merita I
Chriſti nobis proficuam: vnam in
cramentis, & aliam extrâ. Si ergò
ritorum Chriſti tantus ſit theſau
in Sacramentis, & extrâ diſpenſ
dus; quidni erit & ſatisfaction
item Ieſu Chriſti theſaurus in Ecc
ſiâ, ab ipſâ item inter fideles æquè
trâ Sacramenta, quam in eiſdem
ſtribuendus; itâ, vt dupliciter in
nc

nobis proficiant, æquè ac ipsius merita? Disparitas certè nulla dari potest, præsertim cum certò sciamus satisfactiones nostras communicabiles esse, vel per nos ipsos alteri datas, (vt vidimus suprà;) vel per dispositioné Ecclesiæ (vt posteà dicemus) elargitas. Communicabilitatem autem nostris assignare, & eandem Iesu Christi negare satisfactionibus, iniuriosum certè nimis erit. At verò quod non sint omnes distributæ, apparet, cum in dies noui nascantur homines, qui tantâ laborant earundem indigentiâ & necessitudine, quantâ prædecessores vlli, in quos item conferendæ sunt aliquæ, cum *pro omnibus mortuus sit Christus*. Ergô aliquis adhuc etiam in Ecclesiâ reseruatur satisfactionum Iesu Christi thesaurus, futuris Christianorum necessitatibus sæculo item futuro elargiendus, etiam extrâ Sacramenta. Sed quid hic moramur? Nemo negabit: & ideò ad alia progrediamur.

sect. precedenti quasi per totú ca. 3 per totum.

§. 5.

§. 5.

De Thesauro Ecclesiæ, è sati-factionibus Sanctorum proueniente.

I. INfinito hinc Ecclesiæ è Chri[st]
meritis, & passionibus thesaur[o]
collecto, alius item, multò licet m[i-]
noris momenti, quiâ non infiniti v[elut]
alter, sed limitati valoris, magnæ t[a-]
men in se & non contemnendæ bo[-]
nitatis, coniungendus est. Hic autem
surgit è Sanctorum Dei, & amicoru[m]
eius satisfactorijs, superërogatorijs[q;]
operibus bonis, qui dum hîc in mil[i-]
tante viuunt Ecclesiâ, vel ipsi in hun[c]
effectum specialiter deputant, vel pi[è]
producta, & magno zelo elaborat[a]
Dei & Ecclesiæ determinationi, di[s-]
positioni, & applicationi relinquun[t].
Licet horum quidam grauiter sanè
imò fortè grauissimè offenderint Di[-]
uinam

uinam clementiam, non modò enormitate, verùm & multitudine nimiâ multorum scelerum: erant etiam è contrà quidam ex ipso matris vtero sanctificati, & vel exindè rarô, & hoc in minimis delinquentes.

II. Imò verò licet verum sit, quod peccator si nudè consideretur sinè gratiâ, & Dei auxilio, ex solis naturæ viribus non poterit vel pro minimo suo mortali peccato, vt sic accepto, dignè, & ad æqualitatem satisfacere, cum ipsum sit malitiæ quidem infinitæ, & pæna eidem durationis infinitæ iustè proportionata, vires autem humanæ limitatæ, & valoris finiti: quod si ad vnicum adeò sit debilis peccans, certè ad multa & grauia quidem, quibus vt plurimum onerantur peccatores, deesse eundem extrâ controuersiam cadit: cùm tamen pientissimis pariter, ac infinitè efficacissimis Iesu Christi meritis, & sacris passionibus culparum mortalium reatus totaliter sit condonatus, & pænarum eisdem debitarum æternitas exscindatur,

Vide initium ca. sequētis.

D. Greg. Nazian. Iambic. 18.

zianzenus non minora ait.

Quin & sepulchra, sacra vbi olim corpora
Iacuére, prauos spiritus pellunt procul.
Hæc mira pugiles in dies patrant mei.

D. Chr. ser. 35. de virtutibus.

X. Addamus & D. Chysostomum, qui alibi ait: *Sicut virtus erat in veste Pauli, & vmbrá Petri ad sanandos ægrotos: itá in Sanctorũ cineribus ad expellendos dæmones.* Vide plura superiùs. Ex quibus omnibus euidens est operationes nostras bonas vim & efficaciam suam retinere, etiam nobis vitâ functis, & consequenter vim illam saltem quoad partem satisfactiuam piè reseruári in Ecclesiæ gazophylacio ad futuras necessitates.

c. 1. §. 1. 5. 2. n 14. §. 3. n 7.

§. 4

§. 4.

Thesaurus Ecclesiæ resultans ex paßionibus Iesu Christi Domini nostri.

I. THesaurus ille satisfactionum è duplici fonte in Ecclesiæ ærarium emanat: è meritis scilicet, & passionibus, & satisfactionibus Domini nostri Iesu Christi, & Sanctorum eius: omnes enim pij addunt aliquid Ecclesię thesauro, prout affirmat D. Anselmus. *Ad commune hanc quasi rempublicam nostram quisque pro modulo nostro exoluimus quod debemus, & paßione virium nostrarum quasi Canonem paßionum nostrarum inferimus. Partitio plenaria non erit paßionum omnium, nisi cum sæculum finitum fuerit.*

D. Ansel. in ep. ad Colos. c. 1. ℣. 24.

II. De Iesu Christi meritis, & satisfactionibus non multum laborandum; cum certum sit, omnes & singulas

 gulas

gulas ipsius actiones, ratione vnionis hypostaticæ naturam humanam cum Deitate colligantis, infiniti fuisse valoris, & quantum ad meritum, & quantum ad satisfactionem. Quod sic probo euidentissimè. Actionis bonæ valor æstimatur iuxtà proportionem dignitatis in agente; at agens est infinitæ dignitatis: Ergô & ipsius actiones debent esse infiniti valoris. Maior patet; Minor est euidens, quiâ Deus est agens, nempè Deus est qui redemit Ecclesiam; ergò actus redemptionis est infiniti valoris. Probatur antecedens ex illis D. Pauli verbis ad Episcopos Ephesinos, & Melitenses: *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo* Deus ergô erat, qui *sanguinem suum fudit pro Ecclesiâ suâ*. Redemptio ergò nostra valorem habere debet à personâ Dei, nec sola redemptio nostra, sed & omnes aliæ Christi actiones in tantum sunt perfectiores, in quantum procedunt ab ip-

Act. 20. ✝. 28.

sâ secundâ Diuinitatis personâ. Notandum verò est, nos non itâ asserere Deum nos redemisse, quasi Deus in suâ mortuus vel passus quicquam fuerit Deitate, quâ Deitas est: sed quod illa persona quæ Deus est, passus sit in suâ humanitate, quæ humanitas subsistit per vnam & eandem filij Dei personalitatem sibi hypostaticè coniunctam; attribuentes omnes illas actiones cum D. Petro *Christo in carne passo*. 1. Pet. 4. v. 1.

III. Cum ergò adeò certùm sit vnamquamque Christi actionem infiniti valoris in ratione meriti, & infiniti etiam valoris in ratione satisfactionis omninò fuisse, itâ vt vel vna sola Deo Patri ad mundi redemptionem oblata suffecisset, & plus quam sufficienter satisfecisset; quid dicemus? quid cogitabimus? vel quem valorem habuisse æstimabimus innumerabiles illas, & pænibiles valdè actiones, & passiones meritorias, & satisfactorias à se pro humanæ naturæ debito soluendo factas, & perpessas in

 Nati-

Natiuitate, in Circumcisione, in toto vitæ decursu, & in lamentabili illo crudelissimæ mortis genere, vbi tantas sanguinis sui pretiosissimi guttarum myriades, quarum vel minima mille mundorum, si necesse esset, redemptioni satisfecisset, effudit abundanter. *In Christo enim exiguæ cruoris guttæ* (inquit D. Gregorius Nazianzenus) *orbem vniuersum restaurauerunt.* Verè de illo D. Paulus ait: *Vbi abundauit delictum, superabundauit gratia.* Et vti longè ante illum Regius Propheta verè cecinit: *Copiosa apud eum Redemptio.* Copiosa ergò, imò abundans, imò equidem superefluens humani generis *apud illum Redemptio.* Quid igitur? perdendane est illa superefluentia? haud equidem. Pretiosa nimis est, & magni æstimanda. Piè igitur recolenda in thesauro Ecclesiæ ad vsus necessarios, & ad temporum personarumque necessitates subleuandas reseruanda.

D. Greg. Naz. orat. 42. quæ est 2. in Pascha.

Rom. 5. ℣. 2

Psa. 129. ℣. 7.

IV. Et iterum: *Pro omnibus mortuus est Christus.* Et: *Ipse propitiatio pro pec-*

2. Cor. 5. ℣. 15.

1. Ioa. 2. ℣. 2.

catis

catis nostris : non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Sanguis Christi (inquit Origines) *tam pretiosus fuit, vt solus pro omnium redemptione sufficeret.* Quis ambiget ? *Impij hi hæretici perditionis sunt filij* (ait D. Cyrillus), *& semen iniquum, vti qui Dominum, qui illos redemit, negent. Effusio iusti sanguinis Christi* (inquit Caius Papa) *tam fuit diues ad pretium, vt si vniuersitas captiuorum in Redemptorem suum crederet, nullum Diaboli vincula tenerent.* Et D. Augustinus : *Venit Redemptor, & dedit pretium, fudit sanguinem suum, & emit orbem terrarum: Quæritis quid emerit ? Videte quid dederit; & inuenite quid emerit. Sanguis Christi pretium est : tanti quid valet ? quid nisi totus orbis ? quid nisi omnes gentes ?* Itâ, vt si totus mundus baptizaretur, & statim à baptismo moreretur, illicò & recto tramite in cœlum transferretur sine vlteriori peccatorum satisfactione, & hoc solum ratione immensi thesauri meritorum, & satisfactionum Iesu Christi in Ecclesiâ reseruati

Orig li. 2. epist. ad Ro.

D Cyril. Alexan. hom. Ephesi in Nestor. dictâ.

Caius Pap. ep. ad Fælicem Episc.

D. Aug. enarrat. in Ps. 95.

& in baptiſmo applicati in peccatorum reatus abſolutionem, & pœnarum peccatis delinquentium debitarum recompenſationem. Quod cum verum ſit pro Iudæis certè, pro Turcis, Infidelibus, hæreticis, excommunicatis, pro reprobis, &c. *pro omnibus* & ſingulis prętẽritis, præſentibus, & futuris, *pro totius mundi* mortuus eſt; & *copioſa*, etiam pro illis omnibus *redemptio*; & *vbi* etiam inter illos *abundauit delictum, ſuperabundauit* (ſi velint eâ vti) *gratia*. Multò autem maxima pars totius orbis eſt malorum hominum multitudo: *lata* enim *porta*, *& ſpatioſa via eſt quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam*: nec multum habent emolumenti omnes iſti, fortè omninò nullum recipiunt eorum quidam, ex totâ illâ *copioſâ redemptione* pro ipſis Deo Patri oblatâ. Et quid (precor) fiet de magnificentiſſimis illis Ieſu Chiſti bonis? quid de lachrymis? quid de ieiunijs, vigilijs, orationibus? quid de ſanguine ipſo effuſo? quid in vniuerſum de omni-

Matt. 7. ṽ 13.

omnibus eius passionibus, & satisfactionibus pro istis miserè, & voluntariè pereuntibus in redemptionem præparatis fiet? quid de illis (inquã) statuendum? perditûmne ibunt? Iniuria certè nimia erit. In gazophylacio potius Ecclesiæ sanctæ reseruabuntur expẽdẽdæ in *filios adoptionis*, prout æquum & bonum Ecclesiæ visum fuerit in Domino expedire.

V. Denique certissimum est hoc, thesaurum in Ecclesiâ esse maximum meritorum, & satisfactionum Christi Iesu dispensabilem vniuersis Christi fidelibus per Ecclesię ministros in Sacramentis, nec posse quemquam hominum absolui ab ipsâ peccati maculâ per ipsius Baptismi, per Pænitentiæ, alteriusuè Sacramenti susceptionem, nisi per meritorum, & satisfactionum Christi applicationem: nec fit hæc dispensatio nisi per Sacramentorum ministros. Necnon & extrâ Sacramenta tantam habent vim Iesu Christi merita ergâ nos, vt nobis aperuerint regna cælestia priùs

clausa, mereantur nobis primam gratiam, reconcilient Patrem, energiam dent fundamentaliter omnibus operibus nostris, vt bona sint, & principaliter promeruerint pro nobis vitam æternam: ità vt dispertiantur ipsius Iesu Christi merita per singulas ætates etiam extrà Sacramenta omnibus, & singulis Christi fidelibus eis benè vti volentibus: adeò vt non hi solùm, qui modò vitam degunt, sed & qui præcesserunt, & qui subsequentur nos, portiones sibijpsis proportionatas exindè receperunt, & recipient in futuris temporibus vsque ad consummationem sæculi: ità, vt duplicem vim habeant merita Iesu Christi nobis proficuam: vnam in Sacramentis, & aliam extrà. Si ergò meritorum Christi tantus sit thesaurus in Sacramentis, & extrà dispensandus; quidni erit & satisfactionum item Iesu Christi thesaurus in Ecclesiâ, ab ipsâ item inter fideles æquè extrà Sacramenta, quam in eisdem distribuendus; ità, vt dupliciter item nobis

nobis proficiant, æquè ac ipsius merita? Disparitas certè nulla dari potest, præsertim cùm certò sciamus satisfactiones nostras communicabiles esse, vel per nos ipsos alteri datas, (vt vidimus suprà;) vel per dispositionē Ecclesiæ (vt posteà dicemus) elargitas. Communicabilitatem autem nostris assignare, & eandem Iesu Christi negare satisfactionibus, iniuriosum certè nimis erit. At verò quod non sint omnes distributæ, apparet, cum in dies noui nascantur homines, qui tantâ laborant earundem indigentiâ & necessitudine, quantâ prædecessores vlli, in quos item conferendæ sunt aliquæ, cum *pro omnibus mortuus sit Christus*. Ergô aliquis adhuc etiam in Ecclesiâ reseruatur satisfactionum Iesu Christi thesaurus, futuris Christianorum necessitatibus sæculo item futuro elargiendus, etiam extrâ Sacramenta. Sed quid hic moramur? Nemo negabit: & ideò ad alia progrediamur.

sect. precedenti quasi per totū. ca. 3 per totum.

§. 5.

§. 5.

De Thesauro Ecclesiæ, è satisfactionibus Sanctorum prouueniente.

I. INfinito hinc Ecclesiæ è Christi meritis, & passionibus thesauro collecto, alius item, multò licet minoris momenti, quià non infiniti vti alter, sed limitati valoris, magnæ tamen in se & non contemnendæ bonitatis, coniungendus est. Hic autem surgit è Sanctorum Dei, & amicorum eius satisfactorijs, superërogatorijsq; operibus bonis, qui dum hîc in militante viuunt Ecclesiâ, vel ipsi in hunc effectum specialiter deputant, vel piè producta, & magno zelo elaborata Dei & Ecclesiæ determinationi, dispositioni, & applicationi relinquunt. Licet horum quidam grauiter sanè, imò fortè grauissimè offenderint Diuinam

uinam clementiam, non modò enormitate, verùm & multitudine nimiâ multorum scelerum: erant etiam è contrâ quidam ex ipso matris vtero sanctificati, & vel exindè rarô, & hoc in minimis delinquentes.

II. Imò verò licet verum sit, quod peccator si nudè consideretur sinè gratiâ, & Dei auxilio, ex solis naturæ viribus non poterit vel pro minimo suo mortali peccato, vt sic accepto, dignè, & ad æqualitatem satisfacere, cùm ipsum sit malitiæ quidem infinitæ, & pœna eidem durationis infinitæ iustè proportionata, vires autem humanæ limitatæ, & valoris finiti: quod si ad vnicum adeò sit debilis peccans, certè ad multa & grauia quidem, quibus vt plurimum onerantur peccatores, deesse eundem extrâ controuersiam cadit: cùm tamen pientissimis pariter, ac infinitè efficacissimis Iesu Christi meritis, & sacris passionibus culparum mortalium reatus totaliter sit condonatus, & pœnarum eisdem debitarum æternitas exscindatur,

Vide initium cap. sequētis.

tur, & in temporalem commutetur, vti postea speramus probatum iri. Poterunt ijdem etiam multoties mortaliter peccantes Dei Sancti Diuinæ iustitię, pęnitentiæ sacris operibus, & arduis pœnosisque valdè virtutum satisfactionibus pro suo hoc temporali peccatorum suorum debito, Diuinâ suffulti & adiuti gratiâ, satisfacere omninò. Patet euidētisimè. Martyriū enim, cum sit sāguinis baptismus, sufficientisimè pro omnibus cuiuscunque peccatoris culparum suarum debitis pænis reddit satis, ità vt martyrio coronatus peccator quilibet illicò ad cœlum sinè aliâ satisfactione quâcunque recto trāsferatur pede. Multis hoc primitiuę Ecclesię patet exemplis. Idem item de perfectisimis illis contritionis actibus, quibus homo profundisimo cordis tactus dolore peccatum horret, & ódio habet, eo tantum capite, quod Diuinæ (cui ardentisimo charitatis, & amoris vinculo afficitur) displiceat bonitati, & Sacræ contrarium sit voluntati. Nec

Cap. seq.

dubium

dubium equidem est, Dei Sanctos in omni virtutum genere exercitatos, istiusmodi contritionis actus quamplurimos produxisse.

III. Sunt ergô homines in quadruplici differentiâ. Aut enim peccatores sunt, mortaliter inquam peccantes, & in peccatis suis morientes: *in puncto ad inferna* descendunt: & de his nobis nihil est dicendum: vel sunt peccatores, & absoluti à peccatorum suorum mortalium reatu, & eorundem debitâ pænâ (quæ ex iustitiâ erat æterna) per diuinā clementiam factâ tēporariâ, æternitate ipsius cum reatu per Sacramētum, vel aliundè cancellatâ: qui item vel moriuntur, & ad hanc temporariam pœnam exoluendam in Purgatorij flammis collocantur: vel viuunt adhuc proprijs pænitentijs, & bonis operibus, & satisfactionibus, vel indulgentijs satisfacturi: sed de his duobus in sequentibus latiùs. Vel fuerunt peccatores, hoc est, peccarunt aliquandò mortaliter, aut venialiter, vel etiam modò peccant

cant venialiter, & pijs suis actionibus, satisfactorijsque operibus, & austeris pęnitentię actibus adeò strenuè laborarunt, vt iam pro quotâ debitarum culpis suis temporalium pœnarum diuinæ iustitiæ satisfecerint: atque ità viuentes adhuc in carne supererogatoriè modò in dies pænitentijs, satisfactorijsq; actionibus insudāt multū; & in omniū coronidē, cū nil iam, aut valdè parùm satisfaciendum habeant, sanguinem suum pro Christo Domino profundunt. Aut denique sunt innocentes omninò, qui in nullo deliquerunt, & è consequenti nullum habent peccatorum debitum diuinæ pro se reddendum iustitiæ; plurimas tamen virtutis arduas, laboriosas, pœnales, & exindè satisfactorias suâpte naturâ produxêre actiones. Horum autem duorum generum hominum actiones piæ, & satisfactoriæ etiam ex sententiâ D. Augustini in commune bonum Reipublicæ Christianæ conferri possunt, & coniunctæ sunt ab initio vsque nunc, & coniungētur in finem mundi.

D. Aug. in Ps. 61.

IV. Vltimi huius generis alium non allegabimus vllum (alium enim allegare possumus nullum) nisi beatissimam illam, sacratissimamque Dei genitricem semper Virginem Mariam: de quâ id Canticorum iure canitur: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Ea enim est *Virgo incorrupta, sed virgo per gratiam ab omni integra fuit labe peccati.* De quâ D. Augustinus ait: *Exceptâ sanctâ Virgine Mariâ, de quâ propter honorem Domini nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatũ fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Nec immeritò eam *gratiâ plenam* salutauit Angelus, aut Patres affirmant (a) *Sanctiorem Seraphinis,* (b) *omnium virtutum, & gratiæ fœcundam,* (c) *in nullo corruptam:* (d) *Incendium originale in eâ extinctum.*

Cant. 4. ℣. 7.

D. Amb. in Psal. 118. ℣. vlt.

D. Aug. l. de natura & gratia. c. 36.

D. Th p. 3. qu. 27. ar. 4. legit *inde* nõ *vnde*, & *quod* nõ *quid*.

Luc. 1. ℣. 28.

(a) S. Ephrem de laudibus Beatæ Virginis. Theodoret. in Cant. D. Ignatius in ep. ad Ioa. & Iustin. Mart. qu. 36. Greg. Neocæs. ho. in Annunciat. B. Virg. D. Athan. prid. Epictetum. (c) Sophron. de Assump. Mariæ ad Hieronem. (d) D. Cyprian. ser. de Christi Natiuitate.

D. Chrysost. hom. in Hypopanten Domini. (b) Th.odo-

tinctum fuiße. (e) *Nullo eam doli ambitu syncerum adulteraße affectum.* (f) *Illamque neque persuasione serpentis deceptam, neque eius afflatis venenosis infectam fuisse vnquam.* Hinc enim est, quod Concilium illud vniuersale, & Oecumenicum, Tridentinum affirmet totius Ecclesiæ Catholicæ sensum esse, *Beatam Virginem peccata omnia etiam venialia vitasse.* Nec videtur Lutherus id multum negare, cum dicat: *Iustum & dignum erat Mariæ personam ab originali peccato præseruare: etiam antequam in corpus ipsius anima infunderetur.* Quę omnia cum verissima sint, purissima fuit ab omni originalis, et actualis peccati labe; vndè diuinæ iustitiæ in satisfactionem temporalis pœnæ culpis proprijs debitæ nullatenus obligabatur, satisfactorium enim nil debebat. His non obstantibus ęquè certum est, quod multum in viâ virtutis laborauerit, actusque sanctos ex naturâ suâ satisfactorios, quia in virtute arduos, pœnales, laboriosque operata fuerit, dum Christum filium in vtero

(e) D. Amb. li. 2. de virginitate.
(f) Origen. ho. 1. in diuersos.
Concil. Triden. sess. 6. can. 23.
Luther. in Euãg. de concep Mariæ.

vtero gestauerit, dum eundem infantilibus pannis inuoluerit, dum in Ægyptũ fugerit, indèque redierit, dum filium toto triduo perquisierit, dum in planctu & singultu multo ad crucem steterit, vnigeniti sui mortem plangens acerbissimam : itâ, vt illud Simeonis antiqui verè in eâ adimpletetur; *suam ipsius animam pertransibit gladius.* Quid adijciam profundissimam eiusdem humilitatem, quâ Deũ in sinum inuitauit? quid resignationẽ integram, quâ Angelo consensit? quid charitatem perfectissimam, quâ filio in amore fuit coniunctissima? quid reliquas virtutes in ipsâ excellentissimas memorem? habuêre tamen omnes, quâ arduæ & laboriosæ, rationem satisfactionis naturâ suâ; non applicabilem sibi, quià nil habuit satisfaciendum pro se ipsâ, communicabilem autem, & applicabilem alijs Ecclesiæ membris. Cum ergô in vsus bonos conuerti poterunt, negligentia equidem erit maxima, incuria omnimoda tanta pertransire bona, & tanquam

Luc. 2. ꝟ. 35.

quam inutilia prorsus vili pendere, & aspernari. Maiori certè agitur Ecclesia Dei zelo, & recolliget piè, & in thesauris suis obseruabit studiosè, & ad pias filiorum necessitates subleuandas distribuet misericorditer, & cum fructu magno expendet fæliciter.

V. Ex eis, qui in, vel ab vtero matris sanctificabantur, D. numerari potest Ioannes Baptista, qui, *vt audiuit salutationem Mariæ Elizabeth, exultauit infans in vtero eius*, & exindè in materno vtero sanctificatus vitam duxit pœnitentiæ actibus refertissimam; adeóque omnium virtutum genere ornatus erat, vt ex ore Altissimi meruerit illud Eulogium: *Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptistá.* Vndè item euidenter deducitur, illum rarissimè diuinam offendisse maiestatem, aut leuissimis saltem & minutioribus tantùm peccatis. At verò dura eiusdem pænitentia, dura deserti habitatio, durum terræ cubile, dura vestis è camelorum pilis conflata

Luc. 1. ℣. 41.

Mat. 11. ℣. 11.

flata, dura fames, & locustarum refectio: quibus coniunctus durus carcer, & durior mortis sententia, necnon & durissima capitis corporisque separatio multam sanè proclamant satisfactionem; præsertim si Martyrij, côtritionisque intensissimæ actuum, (quorum procul dubio multos eliciebat) natura consideretur, & thesauro Ecclesiæ numerosam relictam quantitatem ex suâ superabundantiâ, & affluentiâ.

VI. Nec Hieremias Propheta ab hoc alienus est titulo, quippe qui ab vtero matris sanctificatus adeò Dei præuentus, & suffultus est gratiâ, vt non nisi in quibusdam minimis offenderit peccatis, multas tamen Dei causâ pertulit afflictiones, vt ex ipsius scriptis patet, & mortem tandem ipsam perpessus obijt: è quibus certè aliquid superfluum remanet in thesaurum Ecclesiæ reponendum.

Hier. c. 1. 8. 20. 26. 36. 37. 38. &c.

VII. Ex ijs qui peccauerunt, & pro suo temporali debito satisfecerunt ad summum, atque vlteriùs superero-

gatoriè multa & fecerunt, & perpe
sunt; longum certè catalogum con
texere possumus: vtpotè Apostolo
omnes, Discipulorum Domini quo
dam, Martyres vniuersos, Confesso
res multos, plurimos Religiosos, Vi
gines, Viduas, &c. â quibus omni
bus aliquid semper Ecclesiæ sanct
gazophylacio accreuit supererog
tionis.

VIII. Quantum ad Apostolos at
tinet, vnus pro omnibus loquatu
qui de seipso primò loquens, ait: N
hil mihi conscius sum; etiam eo no
obstante, quod mirum in modum pe
secutus sit Ecclesiam Dei. Et ide
posteâ tam pro se, quam pro reliqui
omnibus Apostolis affirmat in hæ
verba: *Gloria nostra est hæc, testimo
nium consciĕntiæ nostræ, quod in simpli
citate cordis, & synceritate Dei, & no
in sapientiâ carnali, sed in gratiâ Dei con
uersati sumus in hoc mundo.* Per qu
luculentissimè testatur seipsum (&
audacter idem de cæteris item Apo
stolis affirmare possumus, cum omne

1. Cor. 4. ỳ. 4.

2. Cor. 1. 12.

pe

per Spiritus sancti aduentum in sacro Penteco stes die in gratiâ fuerint confirmati) paucissimis obligatum peccatis, pro quorum debito temporali teneretur astrictus diuinæ satisfacere iústitię. Quid verò nō dicit de suis, reliquorumque collegarum, & confratrum suorum Apostolorum afflictionibus perpessis, & inflictis persecutionibus: Puto, inquit, *quòd Deus nos Apostolos nouißimos ostendit tanquam morti destinatos, quiâ spectaculum facti sumus mūdo, & Angelis, & hominibus.* Et descendit ad particularia. *Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles. Vsque ad hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus: tanquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema vsque adhuc.* Eodem modo alibi proprias enume-

1. Cor. 4. 9.

rat tribulationes, & malorum perpessiones; & primò quidem comparatiuè, vt indè magis elucescat: Ait enim: *Ministri Christi sunt, (vt minus sapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs.* Deîn particularia recenset. *In plagis suprà modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas vnâ minus accepi. Ter virgis cæsus sum: semel lapidatus sum: ter naufragium feci: nocte, & die in profundo maris fui: in itineribus sæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus; in labore, & ærumnâ; in vigilijs multis, in fame, & siti, in ieiunijs multis, in frigore, & nuditate. Præter illa quæ extrinsecus sunt: instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* &c. Deîn effugij sui apud Damascum commemorat difficultatem. Quibus benè perpensis, & iustâ æquitatis lance ponderatis,

2. Cor. 11. ℣. 2.

præsertim si istis omnibus sanguinis effusionem (quam Apostolorum singuli libentissimè pro Iesu Christi fide obtulerunt Deo Patri) coniungamus: & collatione factâ inter temporales illas Apostolorum peccatis debitas pœnas, & hasce satisfactorias quas perpessi sunt calamitates, & persecutionum sustinentias; procul dubio eorum quilibet cum D. Iob dicere poterat: *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior in staterâ*; & cum illo ferre sententiam: *quasi arena maris, hæc grauior appareret.* Et exindè equidem redundantia illa Ecclesiæ thesauro accrescet, & reponetur.

Iob 6. ✝. 2.

IX. Cum verò de Iob mentionem fecerimus, non sunt illa superiùs silentio prætermittenda verba; apertissimè enim superabundantiam satisfactionum suprà debitum peccatorũ affirmant, dum grauiorem dicat *calamitatẽ peccatis*: & hoc ab illo pronũciatum, *cui sermonis recti* testimoniũ perhibuit Deus: Ait enim: *Non estis locuti co-*

Iob. 42. 7.

ram me rectum, sicut seruus meus Iob. Rectane coram Deo loquutus est Iob, cum diceret, *quasi arena maris hæc grauior appareret?* Rectum ergò est, quod in Sanctis Dei aliquandò calamitas in viâ satisfactiuâ excedat temporale peccatorũ debitum: de hoc enim certum est Iob loquutum, non de æternâ illâ pœnâ mortalibus in inferno debitâ peccatis: hæc etenim infinita est quâ æterna; nec compensabilis, aut vllo modo humanis actionibus commensurabilis. Sequela ergò erit manifesta, è Sanctorum satisfactionibus aliquas portiunculas posse, imò de facto venire in Ecclesiæ gazophylacium: non enim solus Iob amicus Dei; nec ille solus multa pro peccatis perpessus est. Et Patriarchæ, & Prophetæ, & Apostoli, & Martyres, & Confessores, & Monachi, & Virgines, & Viduæ, & omnes Christi electi per *angustam portam* cælestę intrauerũt tabernaculum: *Regnum* enim *cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Vndè *patientia illis necessaria erat, vt reportarent repromissiones.*

Mat. 11. ℣. 12.

Heb. 10. ℣. 36.

missiones. Stat ergò sententia, & Iob, & Sanctos omnes thesauro addidisse Ecclesiæ.

XI. Addamus & aliud D. Pauli testimonium, omnibus item applicabile Dei Sanctis, qui ad Colossenses ait: *Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius; quod est Ecclesia.* D. igitur Pauli (& quid ni etiam aliorum Sanctorum) passiones, & satisfactiones superaddunt aliquid passionibus Christi, & hoc in bonum corporis Ecclesiæ: imò & has subijt S. Apostolus eâ intentione, vt prosint Ecclesiæ membris. Quid clarius dici potuit? Idem ex hoc loco affirmant D. Augustinus, & D. Anselmus, quem vltimum videre licet suprâ §. præcedenti. nu. 1.

Coloss. 1. ℣. 24.

D. Aug. supra Ps. 61. in principio.

XII. De Martyribus non multa dicenda sunt, cùm per se pateat quod Martyrium, etiam in infimo charitatis gradu quo sustineri poterit, baptismus quidam sit sanguinis, & Dei iustitiæ pro temporaria quacunque peccato-

rum

rum pecca, etiamsi vniuersa totius mundi delicta perpetrasset Martyr, reddat in solidum satis, in tantum, vt omni alia satisfactione absolutus è mortalibus in cælum moriens illicò transmigraret; & id est in causâ, cur dixerit aliquandò D. Augustinus : *Iniuriam esse pro Martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari.* Quotus autem ille est Martyr, qui infimo illo tantùm charitatis gradu dotatus, horrendisque omnibus vniuersi orbis delictis oneratus sanguinem suum pro Christo Domino in vnitate Ecclesiæ sanctæ fudit? Ipse licet eiusmodi quis minimus in priore, & maximus in posteriore inuentus fuerit, pro suo saltem certissimè quoto satisfecit, nec ab Ecclesiæ thesauro subsidium, aut post mortem preces & suffragium postulare necessum habebit omninò. At verò cum certo certius sit eiusmodi nullum assignari posse, quin potius infinitos quasi, vel qui nil à Baptismo peccauerunt, vt Innocentes, nouiterque baptizatos : vel valdè parum, & magno

D. Aug. tom. 10. ser. 17 de verbis Apostoli c. 1.

magno inflammatos charitatis zelo & ardore, vt D. Ioannem Baptistam: vel postquam in aliquibus fortè offẽderint mortalibus, saltem multis venialibus, lõgâ & austerâ compunctos pænitentiâ satisfacientes, in gratiâ confirmatos, vt Apostolos: vel saltem charitate nimiâ feruentes, vt D. Laurentiũ, inueniemus forti, & constanti magnanimitate, crudelissima & exquisitissima quęque Tyrãnorum tormenta sustulisse gaudenter, & horrendam mortem cum magno animi iubilo subijsse lætabundos. Quorum omnium illa vna communis est ratio, quod necessariò habuerint in satisfactionibus superfluentiam magnam, quam morientes Sacræ Ecclesiæ Catholicæ distributioni quasi testamento reconsignârunt.

XII. Similia de Confessoribus, Monachis, Virginibus, Viduis, &c. dicenda occurrunt. Dum enim & ipsorum multi ieiunijs, vigilijs, cilicijs, disciplinis, eleëmosynis, alijsque infinitis pijs, & pænosis virtutũ actionibus

bus, & austeræ pœnitentiæ satisfactoriis operibus 20. 40. 60. & amplius annis sudârunt diligenter, iure merito æstimari poterunt vltrà sua peccatorum debita satifecisse, præsertim cum familiare fuerit eisdem excellentissimos contritionis ardentissimæ actus sæpiusculè producere, quorum quisque propriæ sufficere poterat obligationi, & consequenter in Ecclesiæ fiscum vel ex hinc multum accrescit thesauri spiritualis.

XIII. Ex hinc patet ratio, cur adeò frequenter Moyses, aliique Dei supplices obtulerint Deo Sanctorum, dilectorumque seruorum suorum memorias, multoties repetentes: *Recordare Domine Abraham, Isaac, & Israel seruorum tuorum.* Et: *Memento Domine Dauid:* &c. Et similiter cur Deus ipse sæpius sibi refricet eorundem seruorum suorum memoriam, aut peccata condonans, aut beneficia elargiens populo ad eorum intuitum, dum ait; *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Et: *propter Dauid patrem tuum.*

Exod. 3. ℣. 6. 15. & 16.

tuum. Et: *Propter Dauid seruum meum.* Nouerât enim Sancti Dei Patriarchæ, & videtur quidê Deus confiteri beatos illos Dei amicos non pro se solùm sufficienter satisfecisse, sed & superabundanter laborasse; ideòque licet delinquens vulgus magnâ ex parte deesset soluendo, ne in æternum suæ iustitiæ ipsorum causâ insatisfactum esset; voluit, vt *illorum abundantia horum subleuaret inopiam*; & ab illis acciperet, quod istis donaret, & ità illorum gratiâ istos condonando reciperet ad gratiam.

3. Reg. 11 ℣. 13. ibid. ℣. 32. & 34.

2. Cor. 8. 14.

XIV. Vidimus modò ex toto hoc capite esse inter vera Ecclesiæ membra tam generalem, quàm particularem bonorum spiritualium communionem: Inuenimus item tam in capite, quam in membris quibusdam redundantiam satisfactoriorum bonorum communicabilium alijs eiusdem Ecclesiæ membris, tam viuentibus quam mortuis, viui defunctiuè sint ipsi operantes, eamque piè in Ecclesiæ Thesauro reseruatam; su-

per quibus primam huius Capitis titulo proposuimus quæstionem, vtpote: *Quid per Indulgentias donetur?* Ex dictis enim facile erit eiusmodi responsum assignare. *Pars huius Thesauri.*

CAPVT

CAPVT II.

Qui ſint Indulgentiarum effectus.

§. I.

Rerum ſymplexis.

1. INVENTO theſauro Eccleſiæ â ſuperabundantibus paſſionibus, & ſatisfactionib⁹ Ieſu Chriſti, & Sanctorum eius collecto, applicabili deficientibus, & indigentibus eiuſdem Eccleſiæ membris alijs, ex ratione communionis Sanctorum: id conſequenter remanet inquirendum, ad

ad quem effectum illum referuet Ecclesia thesaurum, quibusque de causis, quâuè necessitate ad eum expendendũ moueatur Ecclesia Dei. Ideóq; prout in præcedenti capitulo ostendimus redundantiam superefluentem satisfactionum in capite, membrisque quibusdam Ecclesiæ Sanctæ: ità nunc pariter videndum est è contrario quî accidat, vndéque proueniat, quosdam item Ecclesiæ filios defectuosos esse in reddendâ debitâ suis proprijs peccatis satisfactione. Et ex hâc redundantiâ satisfactionum in aliquibus, & defectu satisfactionum in alijs, & satisfactionum communione in omnibus, luce clarius apparebit, quomodò per Indulgentias fiat in iustitiâ æqualitas, ità vt diuinæ iustitiæ satisfiat in solidum pro peccatis humani generis in vniuersum, & in particulari. Vt autem lucidiùs fiat hæc inquisitio, primò considerandа venit peccati natura; vel potius inquirendum est, vnde proueniat quod peccato etiam remisso, & condonato remaneat adhuc pœna aliqua

debita temporalis, pro quâ satisfaciendâ, ê thesauro hoc Ecclesię applicanda sit per Indulgentias satisfactio.

§. 2.

De naturâ Peccatorum.

I. IN ingressu hîc sciendum est, nos adeò de peccato tractare, vt primò & principaliter de mortali instituenda sit disquisitio: de veniali autem secundariò, & in suâ proportione. Licet enim veniale eneruet aliqualiter, & attenuet in peccante Dei gratiam, & temporali alicui obnoxium sit pænalitati, & satisfactioni: infinitæ tamē malitiæ nec est, nec animam totaliter è Dei gratiâ & fauore exturbat, eamuè æternæ damnationis ream facit: hi námque solius peccati mortalis effectus sunt. Ideòque est, quod mortale peccatum proprium discussionis nostræ subiectum sit, & veniale tantùm reductiuè, & quasi

accidentaliter, & ex occasione.

II. Prout igitur in priore capitulo duas in quâcunque virtutis actione partes probauimus, bonitatem nimirum cui merces, & pœnalitatem seu laborem cui satisfactio correspondent: itâ modò è conuerso, in quocunque peccato duę item partes prioribus proportionatæ, eisdem quasi ex opposito aduersantes ostendendę; vtpotè primò culpæ reatus, quo Dei gratiâ priuatur peccans, Deique inimicus constituitur: vndè sub hâc consideratione incommunicabile est omninò peccatum; non enim poterit anima mea alterius malitiâ è Dei exturbari gratiâ, aut Dei inimica constitui, è libroúe diuinæ amicitiæ deleri: adeò enim volitum debet esse peccatum, vt nisi sit volitum, & à me volitum, mihi peccatum non erit, quantumcunque alteri vni vel multis volitũ sit: & hinc est quod roganti Moysi â Domino, & dicenti: *Aut dimitte populo hanc noxam, aut si nõ facis, dele me de libro quem scripsisti,*

D. Aug. l 19. cõtrâ Faustum. c. 22.

Exod. 32 ℣. 33.

ſisti, reſpondit Deus: *qui peccauerit mihi delebo eum de libro meo*: ſcilicet, *anima quæ peccauerit ipſa morietur*: *filius non portabit iniquitatem Patris*, & *Pater non portabit iniquitatem filij*: *iuſtitia iuſti ſuper eum erit*, & *impietas impij erit ſuper eum*. Non enim erit impius quis impietate alienâ, aut peccans alieno peccato. Vndè Moyſes charitatem ſuam eximiam oſtendit, *è libro vitæ deleri*, niſi populo condonetur, petendo: ſed eò etiam magis auxit ergâ ſe diuinum amorem, fauorem, gratiam; ideòque petere potuit, obtinere non potuit, etiamſi populo non condonaſſet Deus.

Ezech. 18. ℣. 20.

III. Deindè etiam in eodem peccato eſt ipſum debitum diuinæ iuſtitiæ, & obligatio ſatisfaciendi pro eodem delicto ipſi Dei iuſtitiæ: & ex hinc eſt, quod pro eodem delicto mortali, vltrâ quod Dei gratiâ & fauore priuetur delinquens, ſubditus item ſit alicui ſupplicij generi, & obnoxius (pro mortali) damnationi æternæ, pro veniali verò, temporalis de-

debitor satisfactionis; & pro vtroque obligatus subire mundi, & sçculi huius miserias temporales: & sub hâc ratione videtur etiam peccatum alijs temporaliter communicabile, sicut & temporalis illa punitio (posteà probanda) remanens post cancellatam æternitatem debitam pro mortalibus; & ideò dicit Dominus: *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, & zelotes, visitans iniquitatem Patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me.* Et idem etiam ex praxi patet diuinâ: nam propter vnius Achan peccatum fugatus est exercitus populi Israel: & propter vnum Dauidis peccatum mortui sunt septuaginta millia virorum; vt itâ verum sit, quod aliquandò dixit Ethnicus ille Poëta;

Exod. 20. ℣. 5.

Iosue 7. ℣. 4

2. Reg. 24. 5.

Virg.

Quicquid delirant Reges, plectuntur Achiui.

Æternaliter autem communicabile non est peccatum quodcunque mortale, personale etiàm, quoad hanc rationem debiti satisfactionis: nemo enim damnabitur æternaliter ad pœnam sensus propter alterius peccatum

tum mortale, personale inquam: quia de originali peccato, pro quo etiam infantes non baptizati visione Dei carebunt in sempiternum, alia est ratio; nec ad materiam nostram spectat de eodem disputare: cum non contrahant Adæ successores exinde aut pænam sensus in aliâ vitâ, aut obligationem satisfactionis in istâ.

IV. Hæc autem peccatorum pæna pro mortali æternæ durationis esse debet, vt sit infinita, adeoque proportionetur qualitati culpæ quæ infinita est in malitiâ, cum sit actus productus contra Deum infinitè bonum: æternæ, inquam, durationis, quoniam eâ solum ratione est peccantis anima infinita; ad hoc enim creata est, vt licet à parte ante nihil fuit, semel tamen per infinitam Dei misericordiam producta hanc accepit naturam, vt à parte post semper sit, licet quoad reliqua sui sit in omnibus limitatæ, & finitę virtutis, & potentiæ; ideoque est, vt infinitę reatus peccati mortalis malitię pæna durationis in-

finitæ, id eſt æternæ, iuſtè correſpondeat, & proportionetur. De veniali autem proportionaliter loquendum, vtpotè ſicut per reatum eneruat tantùm Dei gratiam in animâ, itâ etiam eam debitricem temporalis tantùm pænæ, & ſatisfactionis, non autem durationis æternę reddit.

V. Enimuerò prout culpa ipſa mortalium, infinitæ cum ſit malitiæ, nullâ humanâ impetratione ſolâ, meritoquè vllo adæquari poterit, adeòque in iuſtitiæ æquitate deleri, aut vt condonetur impetrari humanâ operatione ſolâ omninò nequeat: itâ, & ipſum ſupplicium eiſdem debitum, cum ſit item infinitę durationis, nullis humanis actibus, aut ſatisfactionibus in ſe tantùm conſideratis, & ſolis redimi, & ad æqualitatem iuſtitię Dei ſatisfieri vllâ poteſt ratione. Et è conſequenti tota remiſſio, & condonatio culparum noſtrarum mortalium, tam quoad reatum illum malitiæ infinitæ, quam quoad debitum illud ſupplicij ſatisfactorij malitiæ infinitæ proportiona-

tionatum in duratione æternâ, intuitu meritorum, & satisfactionum Iesu Christi Domini nostri solius ceditur, & obtinetur: & hoc solo modo reatus ille omninò & totaliter obliteratur misericorditer, sicut & debiti æternitas; ad quorum recompensatione, vt iustitię diuinæ satisfiat etiã in æqualitate ad proportioné debitã, è piétissimis Iesu Christi virtutũ actionibus, & sacratissimis paritérq; efficacissimis eiusdem perpessionibus solis, & non aliundè quotam acceptam habemus, & hoc instrumentaliter, & ordinariè per sacrosancta illa septem ab ipso Iesu Christo in Ecclesiâ suâ instituta, & ad eum effectum ordinata Sacramenta. Nec dubito quin adeò clarissima sint isthæc, vt explicasse probasse sit: nec ab ipsis aduersarijs neganda, præsertim si subsequentia, quæ in eum effectum dicemus infrâ, benè ponderauérint.

VI. At verò his etiam aliud ad pleniorem huius difficultatis enoda-

tionem subdendum est, quià beneuolus lector animaduertens nodum quæstionis indè pendere, fortè si non negare, saltem probationem vrgere, vel vt minimum desiderare poterit: ideò diutiùs in eo inhærendum duxi, & efficacissimè probandum statui. Res est: Licet ipse peccatorum reatus, & supplicij debiti æternitas, vt suprà, per solam Dei misericordiam pijssimè in Sacramentis, vel aliter condonentur nobis, & proindè penitus peccator Diuino reconcilietur fauori & gratiæ; restat tamen temporalis aliqua pæna debita pro eisdem peccatis Diuinæ Iustitiæ persoluenda per ipsum eundem pænitentem, itâ vt totum supplicium debitum peccato mortali non cancelletur ad integrum, sed æternitas tantùm supplicij abscinditur, itâ vt ex æterno fit temporale; & aliquandò etiam ipsa supplicij natura mutatur, præsertim cum spatium vitæ dat pænitendi locum, aut ipsa nostra pænitentia ab externo, & animi contritio in interno Diuinam nobis

bis

bis conciliant amicitiam, & commiſerationem. Hoc autem dicimus de peccatis poſt baptiſmum perpetratis; de antecedentibus enim peccatis, quæ committuntur ante ſacrum regenerationis lauacrum, alia eſt ratio: certum eſt enim totam pænam eis debitam totaliter in ipſo regenerationis fonte remiſſam eſſe ex integro.

§. 3.

§. 3.

Hanc temporalem pœnam, etiam remissâ culpâ, & æternitate debiti, à pœnitente soluendam remanere probatur & ex Scripturis, & ex Patribus.

Gen. 2. ℣. 17. Concil. Arausic. 2. cap. 1. Aug. l. 13. de ciuit. Dei c. 12. Concil. Triden. sess. 5. c. 1. de peccato originali. Greg. & alij.

I. PRobatu facile est. Adam enim primum illud Dei mandatum transgrediens, æternæ reus mortis (sub illis verbis, *quocunque die comederis ex eo, morte morieris*, minitatæ) effectus est. Non enim corporalis ibi illi intẽtata mors tãtũ erat, sed & multò magis spiritualis animæ mors (quę per inobedientiã illã vi peccati mortalis animam ipsius interfecit) nõ tam inflicta, quam ad terrorem inculcata, & primo nostro Parenti proposita antè oculos fuit, vt vel exindè horrore tanto perculsus in debitâ contine-

retur

retur præcepti obseruantiâ. Mortale ergô fuit hoc Adę peccatum, & adeò graue, vt filij Dei vnigeniti morte crudelissimâ redimendum, & delendum esset, & non aliâs. Et obseruandum occurrit, quod sicut â Deo præceptum latum est, itâ & supplicium pręuaricationis taxatum est, vt appareat manifestè, vnum fuisse ipsum delictum, & aliud pœnam debitã, & soluendã ad satisfaciendum pro eodem, cum illud inobedientiam pręcepto diuino, hoc obligationem ad mortem animæ æternam subeundam dicat: illud eum gratiâ, & amicitiâ Dei priuauerit, hoc eum debitorem supplicij ęterni luendi constituerit: illud eum cælestis Dei visionis gloriâ exhęredauerit, hoc eum inferno addixerit. Sunt autem isthæc omninò correlatiua, adeò vt quandocúnque alterum inesse constituitur, alterum vt sequatur necessum est, & ablato vno corruat & aliud. Non enim poterit quis perpetuis ignibus adiudicari, qui aut nullum mortale admisit, aut cui admissum

missum piè condonatum est: nec è contrà poterit quis æstimari â culpà misericorditer absolutus, qui æternis cruciatibus mancipatus est: condonato ergô vno, condonari & aliud necessum est. Primo ergô Parenti nostro Adamo per merita Christi Iesu pientissima vtrumque laxatum est, vtpotè & culpæ reatus, & pœnæ æternitas, vti videri est in Sapientiæ libro, vbi affirmatur *eductus â delicto suo*. Inficiabitur autem nullus eum temporaliter quā grauissimè ob illud vnum & idē inobedientiæ flagitiū flagellatū, cum è Paradyso pulsus, & vt in sudore vultus sui vesceretur pane suo condemnatus fuerit: imò & terra (aliâs innocens) maledicta sit in opere eius, ipseque morti corporis adiudicatus, térq; mille annos in Lymbo fuerit incarceratus. Et nos eodem igne combusti sumus, & pęnarum eius partem in corporibus nostris luimus; itâ vt vel ipsi dolores nostri assentiri huic veritati compellant, dum temporaliter vnius ob culpam tantas malorum myriades

Sap. 10. ỳ. 2.

myriades sustineamus

II. Iterum: Peccantibus filijs Israel *peccato maximo*, & adorantibus vitulum aureum, precatus est Moyses Dominum, vt parcat populo suo, quem eduxit de terrâ Ægypti: *placatusque est Dominus, nè faceret malũ quod loquutus fuerat aduersus populum suum.* At verò qui priùs gratiam obtinuit, & quasi detinuit Deum, *ne irasceretur furor eius contrâ eos, & deleret eos*, descendens de monte *iratus valdè proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis*, & per manus Leuitarum occidit *in die illâ quasi viginti tria millia hominum.* Nec hoc contentus addidit Deus: Ego *autem in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum.* Et ne putemus hanc visitationem fuisse ęternam post in alio sæculo luendam, subiungit: *Percußit ergò Dominus populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron.* Aduerte hoc, *percußit*: ecce pœna peccati: *pro reatu*: en culpæ reatus. Clarum est vtrumque, sicut & illud, temporaliter punitum populum, cui prius *peccatum*

Exod. 32 per totum.

maximum

maximum condonatum fuerat, & pœna etiam æterna illi proportionata, & correllatiua cancellata.

Nu. 12. per totum.

III. Maria Moysis soror murmurãs in Moysen grauiter diuinam offẽderat maiestatẽ: deprecatus est Moyses pro sorore, veniáq; obtinuit peccati. At quid Deus? Id equidem quod quærimus: *Si Pater eius spuisset in faciẽ illius, nonne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi? separetur septem diebus extrà castra, & postea reuocabitur.* Quasi diceret: licet ad instantiam tuam peccatum illi condonem, temporaliter tamen iustitiæ meæ satisfaciendum est.

Nu. 14. per totum.

IV. Prægnantissimum est illud Numerorum, vbi populus ad exploratorum de terrâ promissionis relationem terrore perculsus animo concidit, & contrâ Moysen, & Aaron murmurans in Ægyptum regredi, aut in deserto mori expetijt, terrã fluentem lacte & melle ingredi detrectãs, *ne ipse cadat gladio, & vxores, & liberi ducantur captiui:* Moysenque, & Aaron, & Caleb

ontrarium persuadentes, lapidi-
; obruere contendebat. Peccatum
rtè hoc magnum fuit, & mortale,
x iram Dei vehementem concitauit.
Deprecatus est autem Moyses pro
populo, & in hæc verba concludit o-
rationem: *Dimitte, obsecro, peccatum
populi huius secundum multitudinem mi-
sericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti egre-
dientibus de Ægypto ad locum istum.* Et
subiungitur immediatè: *Dixitque Do-
minus; dimisi secundum verbum tuum.* En
petijt Moyses *peccatum populi huius*
(mortale procul dubio, & conse-
quenter æternę obnoxium pœnæ) *di-
mitti*: & ecce dimissum *secundum ver-
bum Moysis*, & è sequelâ etiam ęterni-
tas supplicij correllatiua cancellata
est. At sequelâ attendamus: *Addidit
Deus: Attamen omnes homines, qui vide-
runt maiestatem meam, & signa quæ feci
in Ægypto, & in solitudine, & tentaue-
runt me iam per decem vices, nec obedie-
runt voci meæ, non videbunt terram pro
quâ iuraui Patribus eorum; nec quisquam
ex illis qui detraxit mihi, intuebitur eam.*
Et

Et paulò inferiùs: *Viuo ego, ait D. nus, sicut loquuti estis audiente me, sic ciam vobis. In solitudine hâc iacebunt . dauera vestra,* &c. *Filij vestri erunt vag in deserto annis quadraginta, & portabunt fornicationem vestram,* &c. Quid euidentius? peccatum priùs ad instantiam Moysis remissum, hic temporaliter punitur; & ne dicatur hæc omnia fuisse tantùm in terrorem futuri, ne vlteriùs peccent, minitata, & inflicta; addit expressè Dominus: *& scietis vltionem meam. Vltionem* (inquā) sceleris commissi, & iustitię vindicatiuę satisfactionem, & compensationem: itâ vt nec misericordia nimiùm exaltetur, nec iustitia nimiùm deprimatur.

V. Nec minoris momenti est illud Dauidis exemplum; vbi ad vocem Nathan Prophetæ tàm de adulterio, quàm de homicidio se accusans, clamauit: *Peccaui Domino.* Certè peccato mortali, & exindè subditus erat pęnæ æternæ. Videns autē Nathā cordis eius contritionem, ait: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* En cul-

2 Reg. 12. per totum.

pam

pam remissam : *non morieris* : scilicet morte æternâ debitâ peccato tuo mortali (quod autem mortuus sit corporaliter, patet.) Condonata ergô est culpa ; condonata est item pœnæ æternitas, & mutata in temporalem ; vt ex sequentibus patet. *Veruntamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi morte morietur.* Quid hic desiderari potest ad intenti nostri probationem ? Peccauit Dauid, vt confitetur, & hoc in adulterio, & homicidio secundùm accusationem Nathan Prophetæ : quæ duo mortalia procul dubio erant, & æternam promerentia punitionem : remissum est ipsum peccatum, *transtulit Dominus peccatum tuum* : æterna mors condonata, *non morieris* : & his non obstantibus punitur Dauid morte filij : *filius qui natus est tibi morte morietur.* Certè corporali : innocens enim infans aliam non promeruit. Patet totũ hoc. Abs re autem non erit audire D. Augustinum hâc de re, qui contrà

3. Reg. 2. v. 29.

D. Aug. l. 22. contra Faustū Manichæū c. 67.

Faustum scribens, sic ait: *Quid aliud quam cordis eius* (Dauidis nempè) *profunda videbat Spiritus Dei, quando correptus per Prophetam dixit, peccaui: continuòque ad hoc vnum verbum audire meruit, quod acceperit veniam? Ad quam rem nisi ad sempiternam salutem? Neque enim prætermißa est in illo secundùm Dei comminationem flagelli paterni disciplina: vt & confessus in æternum liberaretur, & afflictus temporaliter probaretur.* Et paulò inferiùs addit: *Intelligebat vir altè Sanctus, quantum pœnarum æternarum eius essent digna peccata: pro quibus, cum temporalibus emendationibus vreretur, videbat ergà se & manere veniam, & non negligi medicinam.* Totum dixit quod velimus, ideòque tacemus. Vide D. Gregorium in Iob.

D. Greg. li. 9 moral. in Iob. ca. 27.

1. Cor. 11. ℣. 30.

VI. Ad idem est quod D. Paulus asserit, ex Corinthijs quosdam indignè Sacrosanctum Christi corpus sumentes, grauiter punitos, imò etiam morte multatos. *Ideò*, inquit, *apud vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* Nè autem suspicemur in peccatis

tis mortuos, addit: *dum iudicamur à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur*. Adeò vt verum sit, hæc fuisse temporalia tantùm supplicia, delinquentibus Deo ante obitum reconciliatis inflicta: cum enim *corripimur*, non abijcimur omninò, & cum *non damnamur*, in æternum saluamur; & è consequenti peccatorum veniam consequimur, licet temporalibus hisce supplicijs puniamur, & castigemur.

ibid. †. 32.

VII. Patrum magnus est numerus, qui hoc affirmāt. Sufficiat vnus aut alter, inter quos D. Cyprian[9], quià antiquus, quià Martyr. *Qui*, inquit, (de lapsis scribēs) *quāuis nullo sacrificij, aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitauerūt, hoc ipsū apud Sacerdotes Dei dolenter, & suppliciter confitētes, Exomologesin cōsciētiæ faciūt, animi sui pondus exponunt, salutarem medicinam paruis licet & modicis vulneribus exquirunt*, &c. Et paulò inferiùs. *Nec cesset in agendá pænitentiá, atque in Domini misericordiá deprecandá, nè quod*

D. Cypr. de lapsis

minus esse in qualitate delicti videtur, in neglectâ satisfactione cumuletur, &c. Plura habet in eum effectum ibidem, quæ curiosus lector videre potest. Hæc nobis sufficiant, vt appareat eum instanter vrgere, vt à *pœnitentiæ actibus non recedamus*, licet per Sacramentalem confessionem sciamus omnia nobis esse remissa peccata. Vide eundem ad Cornelium, & Clerum, & multa inibi ad propositum nostrum inuenies.

[illegible] ...ne. ep. ... & ad Clerum o.

D. Aug. tractat. 124. in Ioan.

VIII. D. modò audi Augustinum. *Hanc vitam (inquit) de quâ scriptum est, nunquid non tentatio est vita humana super terram? in quâ quotidie clamamus ad Dominum, Libera nos à malo, cogitur homo tolerare, etiam remissis peccatis: quamuis vt in eam veniret miseriam, primum fuit causa peccatum: productior est enim pæna quam culpa, ne parua putaretur culpa, si cum illâ finiretur & pæna.* Et pauló infrà ista subiungit: Temporaliter *hominem detinet pæna, etiam quem iam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa*: scilicet culpâ remis-

& æternitate pænæ cõdonatâ, temporalis adhuc remanet castigatio persoluenda. Euidentissimum.

IX. Hic manum vltimam imposuissem, nisi occurrisset aduersariorũ nostrorũ Coryphęus ille, & magnus inter illos Magister Ioãnes Caluinus, suumque nobis obtulisset assensum, quem quasi coronidem apposui, non quod plus mereatur authoritatis, sed quod citiùs acceptetur. Ait autem in suis Instit. lib. filios Dei ab ipso propter anteactæ vitæ peccata castigatos; quod si filij; ergò peccata, & cũ ipsis æternitas pænæ debitę remissa: castigati tamen. Sed ipsum audiamus: *Adde quod non modò infirmitatem præuenire* (inquit,) *sed præterita etiam delicta sæpè corrigere necesse habet clementissimus Pater, vt nos in legitimâ ergâ se obedientiâ contineat. Proindè quoties affligimur, subire protinùs in mentem debet anteactæ vitæ recordatio: ita procul dubio reperiemus, nos admisisse quod dignum eiusmodi castigatione esset.* Publica isthæc aduersarij confessio sola sufficere

Cal. li. 3. Inst. c. 8. §. 6.

debuit, præsertim cum magnus in Israel magister habeatur.

§. 4.

Quî veniat tantus dierũ, annorumque numerus satisfactionum, toties in Indulgentijs specificatus?

I. Et hic, & sequens paragraphi ad præcedentis quæstionis pleniorem elucidationem pertinent. Probato enim quod temporales istæ pænæ de facto excrescant ad dies, & annos, inclusiuè probatur & suppositum, quod tales dentur pænæ temporales. Concesso enim, quod tale extet ædificium, necessariò sequetur aliquod illud habere fundamentum. Patet autem ipsum suppositum nostrum ex dictis, nempè etiam remisso peccati reatu, pænæque eidem debitæ æternitate cancellatâ, restare ad-

hue

huc temporalem quandam castigationem subeundam, itâ vt eiusdem æternitas videatur quasi translata in temporalitatem. Videndum ergô superest modò, quî, & vndè dies illi, & menses, & anni pænitentiarum iniunctarum, satisfactionumue perferendarum sæpenumerò in Indulgentiarum bullis, hisce saltem nostris sæculis, inculcati, pro quorum redemptione, & relaxatione è thesauro satisfactionum Christi, & Sanctorum eius suprà probato, tam largas portiones dispensat Ecclesia Dei (vti fecerunt Concilium Lateranense, & Innocentij tertius, & quartus in suis diuersis diplomatibus) prouenian. Et particulatim scienda est ratio tanti numeri, vtpotè quî ad decem, viginti, centum, mille, &c. excrescant annos, & consequenter quid de plenario statuendum.

Ca. 1. §. 2. per totum. Concil. Lat. 4. sub Innoc. 3. can. 62. Et de pænit. & remiss. c. quod autem. Innoc. 3. An. 1215. Innoc. 4. An. 1245.

II. Ad hoc autem plenè inquirendum præmittenda est distinctio illa communissima (vt itâ dicam) peccati venialis, & mortalis sępiusculè superiùs inculcata. Venialis, inquam, de

Iac. 3. ℣. 2. quod D. Iacobus: *In multis offendimus omnes.* Et Ecclesiasticus: *Qui spernit* Eccl. 19. ℣. 1. *modica, paulatī decidet:* scilicet in maxima. Et in Prouerbijs: *Septies cadet iu-* Pro. 24. ℣. 16. *stus, & resurget.* Et ipse Dominus no- Mat. 12. ℣. 36. ster: *Dico vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* Cuius natura talis est, vt sicut in ratione culpæ parua est, & tantùm gratiam extenuans in delinquentis animâ, nec infinitæ malitię: itâ & pæna ex iustitiâ illi ad satisfaciendum debita, proportionata esse debet; adeòque temporaria tantùm erit, & non infinitæ durationis: taxata tamen per secretam Dei iustitiam, quæ nouit qualitati criminis æqualizare punitionem, & vel in hoc mundo dum viuitur; vel in futuro in purgatorij flammis persoluendam. Isthæc autem pæna, cum necessariò temporalis esse debeat, ad dies, & menses, & annos (saltem secundùm captum humanum) redigi omninò oportet. Et vel ex hinc numerus aliquis dierum, mē-

sium,

ſium, & annorum in ſatisfactionibus per Indulgentias relaxandis accreſcet pænitenti.

III. De mortalium peccatorum ſatisfactionibus tractaturis aduertendum eſt; nihil hic ad nos attinere de ciuili poteſtate, eiuſque legibus malefactoribus conſtitutis, aut etiam de pænitentijs à quibuſlibet pęnitentibus ſibijpſis voluntariè impoſitis, & acceptatis diſputare, cum ad propoſitum noſtrum nihil conferant omninò, nec per Indulgentias remittãtur, aut cõdonentur. Similiter nihil hic ad nos pertinet, de peccatis ante Baptiſmum commiſſis tractare, tantã enim habet illud in baptizatum Sacramentum efficaciam, vt non ſolùm peccatorum omnium quantumcúnque grauium, & enormium, aut cuiuſcunque multitudinis aut numeroſitatis fuerint, culpam & maculam diluat, ſed etiam & pænas omnes iuſtitiæ diuinæ ſatisfactorias debitas, & per eadem contractas miſericordiſſimè ex integro, & totaliter condonet: & hoc intuitu, & reſpectu ſolius Ieſu

Christi meritorum, & satisfactionum, eorundemque applicatione: nec ad hoc concurrit baptizans nisi ministerialiter, & dispensatoriè. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Gratiosè enim in hoc Sacramento agit Deus, per Redemptionem Iesu Christi condonans nobis plenissimè & culpam, & pœnam omnem: *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per Redemptionem quæ est in Christo Iesu*, &c. vt itâ verum sit in hoc Sacramento, quod *Iustitia, & Pax osculatæ sint.* Iustitiæ enim Dei per sâguinem Iesu Christi satisfit, & tamen in visceribus suæ misericordiæ gratis donat nobis Redemptionis fructum, & totalem per Baptismum, & culparum, & pœnarum absolutionem. De his ergô antè Baptismum commissis peccatis, & contractis satisfactionum debitis, & obligationibus, nobis in præsentiarum non est sermo, cum per Sacramentum omnimodè tollantur. Poterit autem & hæc remissio non absonè fortè vocari Indulgentia plenissima,

1. Cor. 4. ℣. 1.

Rom. 3. ℣. 24.

Psal. 84. ℣. 11.

nissima, vel Iubilæus maximus. Sed ad rem.

IV. Tripliciter autem per peccata mortalia post baptismum cõmissa (de his enim solùm disputamus) surgunt isti dies, menses, & anni satisfactionum temporalium, etiam culpis per Confessionem, vel aliter remissis. Primus omnium facillimus ille modus est, qui surgit ex pænitentijs iniunctis in foro pænitentiali; dum in secreto illo auditorio Confessarius Index pænas satisfactorias compuncto peccatori imponit. Illa enim pænitentia in remissâ hâc temporum nostrorum ætate, visis debilibus nostris naturæ collapsæ viribus, licet vt plurimum minor sit multò, quàm peccatorum exigat grauitas: cum tamen ex præscripto iudicis, & per Sacramenti operationem (vbi certè Deus efficaciorem, & vberiorem pęnitẽtibus confert gratiam, etiam vi rerum iniunctarum, quam extrà Sacramentum intuitu earundem) atque etiam quoniam ipse peccator humili suâ obedientiâ, alacri animo & prompti-

tudine, eadem iniuncta acceptat submissè, & ex voluntate præparatã plus subeundi, si plus exigeretur & imponeretur, saltem si aliqualiter peccatis proportionetur satisfactio; ea (inquam) ipsa licet aliàs exigua pœnitentia ex his capitibus æquiualet maiori, imò & pro totali satisfactione coram Deo (dum executioni mandatur) misericorditer acceptatur. Cum igitur hæc talis Sacramentalis satisfactionis obligatio nec exten di potest, nec debet ad æternitatem, nec in momento persolui valet; clarum est, quod dierum, mensium, & annorum limitibus comprehendi necesse est. Ideòque vel ex hinc aliquis accrescet dierum, mensium, annorumque numerus per Indulgentias Ecclesiasticas condonandus, & absoluendus.

V. Alter modus prędicto multis gradibus rigidior, sed Dei decreto conformior, & peccatorum ponderi multò magis propottionatus ille est, qui ex Canonibus, Ecclesiasticisque decretis resultat. Apostoli etenim, E-

piſcopi, & Eccleſiæ Prælati à Spiritu Sancto ducti, & docti ſingulis quibuſque peccatis mortalibus poſt baptiſmum commiſſis proprias, & determinatas iniunxêre ſatisfactorias pęnas, pænitentiáſque Canonicas à pęnitentibus ipſis perſoluẽdas impoſuerunt. Hoc autem modo, vt plurimum, ſeptem pænitentię ſingulis peccatis mortalibus perſcribebantur anni, vti videre eſt in Canone pænitentiali S. Iunonis: Et in particulari per antiquiſſimos illos Ancyrani Concilij (quaſi 1300. ab hinc annis, in confeſſo illo puritatis Euangelicæ tempore, circâ trecenteſimum decimum à Chriſti natiuitate annũ celebrati) Canones, Sacerdotes, & Diaconi metu peſecutionum lapſi à functionibus ſuis reſpectiuè ſuſpendebantur. *Qui ſacrificare coacti ſunt, & inſuper in templis Idolorum cænauerint*, *præter* neceſſariã à Sacramentorum participatione abſtinentiam, trium annorum pænitẽtiæ adiudicabantur. Necnon & ſimilia ſtatuuntur in quinque ſubſequentibus

Decret. S. Iuno. p. 15. t. de pænit.

Concil. Ancyrani c. 1. & 2.

cap 4.

cap. 16. bus Canonibus. De ijs qui *irrationabiliter* (id est, incestuosè, vel bestialiter) *versati fuerint*, diuersimodè statuitur: itâ vt alius quindecim annis, alius viginti quinque, alius verò ad exitum vitæ pænitentes satisfaciebant. Pro adulterio annorum septem pæna statuebatur. De mulieribus quæ fornicantur, & partus suos necant: *sed & de his quæ agunt secum, vt vtero conceptus excutiantur, antiqua quidem definitio est, vsque ad exitum vitæ eas ab Ecclesiâ remoueri: humaniùs autem definimus* (inquit Concilium) *vt eis decem annorum tempus pænitentiæ tribuatur. Qui voluntariè homicidium fecerint, ad pænitentiam quidem iugiter*, (id est, ad finem vitæ) *se submittant. Qui auguria, vel auspicia siue somnia, vel diuinationes quaslibet obseruant*, &c. *quinquennio pænitentiam agant. Qui sponsæ suæ sororem violauerit, grauidamque reddiderit, spõsamque postcâ duxerit vxorem, corrupta verò laqueo se peremit, conscij post decennem satisfactionem iußi sunt suscipi*. His similia itẽ habentur in Concilijs Elibertino, Niceno

cap. 20. cap. 21. cap. 22. cap. 23. cap. 24. Eliber. c. 1. c. 5. 14. 22. &c.

ceno primo, & alijs. Isti autem omnes Canones pænitentiales pro vnoquoque indiuiduali peccato mortali, respectiuè, scilicet vt pro singulis tot anni satisfactionum subeantur: itâ, vt multiplicatis peccatis, multiplicentur & anni. Ijdem autem Canones, vt plurimû, regula fuerunt in primitiuâ Dei Ecclesiâ Confessarijs pænitentijs iniungendis, in foro secreto & sacramentali Confessionis.

Nicen. c. 11. 15.

6. Illâ autem tantorum annorum pænitentiâ hoc intelligebatur, vt delinquétibus certis hebdomadûm singularum diebus præscriberentur cilicium, disciplina, eleëmosynæ, aut ieiunium, vel etiam reclusio intrâ septa Monasterij, interdictio â Sacramentorum frequentatione, exclusio ab Ecclesiâ, abstinentia â certis cibis tam in quantitate, quam in qualitate, vtpotè ieiunium in pane & aquâ, &c. Adeò intolerabile videbatur onus peccatorum in primitiuo illo zelo primæuæ Ecclesiæ, vt nec Confessarij in foro pœnitentiali vererentur ri-

gorosas illas imponere pænitentias, nec pænitentes ipsi easdem subire reluctarentur: tanta erat diuinæ iustitiæ vtrimque formido, tantusque Superiorum zelus, & tanta subditorum humilis subiectio. Vide hâc de re Tertullianum, & D. Cyprianum.

Tert. de Pænit. c. 9 Et Cypria. ser. de lapsis & alibi sæpe.

VII. Huic etiam punitionum generi & illud reduci poterit, quo Canones etiam iniungebant seuerissimas illas Ecclesiæ excommunicationum, interdictionum, & suspensionum censuras: quæ omnes in illâ primâ Ecclesiæ origine in peccatorum satisfactionem pęnitentibus infligebantur. Ex quibus omnibus secundus hic conflatur modus augendi dies, menses, & annos temporalium satisfactionum debitarum etiam peccatis remissis. Licet enim verum sit, posse hominem tot cômisisse peccata mortalia, vt in vitæ suæ breuis (imò fortè longissimę) decursu, impossibile omninò sit eum tot annorum pænitentias suis multimodis peccatis inflictas (quibus obnoxius secundùm

has

has iuris regulas fuerit) satisfacere posse, non tamen proindè ab ijsdem relaxatur, aut vitæ breuitate, aut mortis aduentu, sed obligatus adhuc manet etiam è mundo, & vitâ discedens, & proportionales secundùm diuinæ iustitię determinationem in purgatorij flammis persoluet; & hoc ideô, vt Dei iustitiæ iustum reddatur, etiam tunc cum ipsius misericordia culpæ remissione, & æternitatis pœnarum condonatione maximè exercetur, & magnificatur. Si ergò quis centum solummodò commisisset peccata mortalia in toto vitæ suæ decursu (quidam mille), imò sunt qui decem & amplius millia non verentur deglutire;) satisfactio secundùm huius regulæ pręscriptum ad septingentos succresceet pęnitentiarum annos; & exindè satisfactionis tempus multùm protendetur vltrâ vitę delinquentis spatium, nisi fortè per Martyrium, aut contritionis actus speciales, aliasue virtutum actiones temporis longitudo aliundè recompensetur;

tur; & consequẽter certum est, quod multi restabunt anni per Indulgentias ê thesauro Ecclesiæ condonandi.

VIII. Tertius denique istiusmodi obligationis modus adhuc præcedentibus seuerior multò ille est, quo Deus ipse (cuius consilia inscrutabilia, & viæ inuestigabiles sunt: *horrendum quippe est incidere in manus Dei viuentis*) in secreto suo auditorio tempus certum, & pęnas limitatas, etiam remissis culpis, & satisfactionis æternitate condonatâ, peccatorum qualitati, & iustitię suæ offensæ, pænitentiumque contritioni proportionatas; & ex æqualitate correspondẽtes præfixit, & determinauit. Nec dissonat omninò hæc Dei impositio à prioribus, qui à Spiritu sancto Ecclesię suæ gubernatore, & rectore statuti sunt. Enimuerò si pænitens quis aut ex obliuione, aut aliâs præuentus, vtpotè casu aliquo inopinato, aut certè morte inexpectatâ, &c. obligationibus suis per peccata sua ortis non satisfecerit, tunc equidem Deus ipse sibi reseruauit

Hebr. 10. ℣. 3.

causæ

causæ decisionem, pænitentiæ impositionem, & satisfactionis executionem, in aliâ saltem vitâ; idque alio genere emendationis, quam in hoc mũdo præscribebatur, vtpotè in terribilibus illis purgatorij ignibus, & hoc pro tempore in eum effectum â se prędeterminato. Ità D. ille noster Bernardus, dum ait: *Illud scitote, quia post hanc vitam in locis purgabilibus centuplicitèr quæ fuerunt hic neglecta reddentur, vsque ad nouißimum quadrantem.*

D. Bern. serm. de obitu Humberti Monachi

IX. Veruntamen neque in hoc est Deus nobiscum adeò immisericors, vt semper suam in aliam vitam districtę seueritatis, & satisfactionis sententiam, eiusdemque executionem reseruet; at potiùs, vt plurimùm, aut Sacramentorum suorum operatione efficaci, aut pænitentiæ Sacramentalis executione, aut pænitentis compuncti contritione profundâ, aut alijs pijs virtutum actionibus, aut pænalium satisfactionum austeritatibus voluntariè susceptis, aut denique Indulgentiarum Ecclesiasticarum obtentione

permotus ex integro, vel saltem parte suam mutat sententiam: Nou enim Deus condonare, quandò fat git peccator pænitere, vti fecit cu Niniuitis, & Ezechiâ Rege. Imò equ dem verè pius, verè misericors Det sicut *punit hîc temporaliter, vt parcat æternaliter* (vti inquit D. Augustinus ità multò magis hîc infligit tempora liter, dum in hoc viuimus mũdo, mo dicis his calamitatibus, & afflictioni bus nos puniens, & castigans, vt pa cat indulgenter in illis seuerissimis d strictæ suę iustitiæ, & purgatorij tor mentis: *Quem enim diligit Dominus ca stigat.* Et hinc est, quod ad amussin omnes Dei dilectos in hoc mund persecutionem, pressuram, & tribu lationem sustinentes, *crucesque su post Christum portãtes* videamus; quod patet ex omnibus illis locis §. præce denti allatis Reseruat autem etiam aliquandò huius sui districti, & secre ti iudicij executionem in futuram vi tam, ibidem seuerissimę, vt dictum est, subeundam: vtpote dum in arti culo

Ionæ. 3. ℣. 10.
4. Reg. 20. ℣. 5.
D. Aug.
Heb. 12. ℣. 6.

tulo mortis à delictis suis absoluitur quis, aut aliàs morte præuentus, tempus non subest huius sui decreti satisfaciendi, & tēporaliter hîc recōpensandi: tunc enim necessū est, vt iustitiæ diuinæ satisfactio fiat; quod cum hîc fieri nequeat, alibi faciendū certè restat, & proindè Purgatoriū præparauit peccatorū expiatoriū, & suæ iustitiæ satisfactoriū. Et hic est ille terti⁹ satisfactionis modus, qui sicuti neque momentaneus esse potest, neque æternus: itâ etiā (saltem quoad captū nostrum) ad dies, mēses, & annos reduci debet: ex quo numerus noster certè multū augebitur, & multiplicabitur.

X. Ex his ergò tribus dierum, mensium, & annorum satisfactionis pro peccatis aliâs remissis modis, facile est de *quadragenarum, tertiæ partis, viginti, centenorum, imò millenorum annorum de iniunctis pænitentijs Indulgentijs* (toties in Pontificum summorum diplomatibus repetitis) rationem reddere perfectissimam. Sunt etenim portiones quædam totalis illius obliga-

ligationis satisfactoriæ, & annorum multitudinis, ad quam quilibet pęnitens peccator pro venialibus, vel etiā mortalibus suis delictis astrictus, & obnoxius esse poterit.

§. 5.

Probantur hi satisfactionum modi ex Scripturis sacris, & Patribus.

I. EXigitur hic video horum omnium probatio: non enim satis est dixisse. Pythagoras non sum, licet ità explicasse, intellectus statim suggerat rationes, vt credi possit. Vtcunque non abnuo: vt non prolata solùm, sed & probata stent.

II. Quod autem in genere tales temporariæ pænalitates, remissis peccatis, & æternitate satisfactionis cancellatâ, debeantur, probatum satis est huius Capituli §. tertio. Hic ergò probandum tantùm restat, quisnam ille sit

sit, qui temporarias hasce pęnas infligendi habet potestatem. Deum verò posse, nemo inficiâs ibit: quod si perfrictâ fronte hoc fecerit, §§. 2. & 3. huius capitis, & 3. & 5. sectionis primæ capitis præcedentis quam euidentissimè probatū reddet, ità vt necessum non sit vlteriùs in eiusdem probatione insudare; hic autem est trium vltimus. De duobus reliquis consequenter ampliùs dicendum, licet & illi cuiuis cordato ex §. præcedenti numero 5. sufficienter ex Concilijs generalibus antiquissimis confirmati videatur. At verò nè authoritatū, & probationum parciores æstimemur, studiosi lectoris voluntati copiosiùs satisfaciendum putamus.

III. Efficaciter autē primò sic, Christum Dominum Pater cęlestis non solùm summi sacerdotij honorę sublimauit: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinē Melchisedech:* &; *Hic, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.* Ex quo potestatem habet Sacramenta, & reliqua Ecclesiæ mu-

Psa. 109. ℣. 4. Hebr. 5. ℣. 6. Heb. 7. ℣. 24.

nia ſpiritualia inſtituendi: ſed etiam & ſupremum ei Regis titulum dedit: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo* Pſ.2.℣.6 *ſuper Sion montem ſanctum eius.* Imò verò omnē ei donauit poteſtatē in cælo, Mat. 28. 18. & in terrâ: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terrâ.* Et exindè authoritatē accepit Hierarchiā in regimine Eccleſiaſtico ſtatuēdi, & diſponēdi omnia, quæ ad illius bonū neceſſaria videbantur. Eccleſiam autem ipſe inſtituit, Mat. 16. 18. & *ſuper petram ædificauit*, adeòque pro eâdem prouidit, vt *portæ inferi non præualerent aduerſus eam.* Necnon & regimen Hierarchicum in eâdem ordinauit. Hoc autem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ regimen, niſi ſufficienti eſſet ſtabilitum, & authorizatum poteſtate leges quibus ſubditi obligarentur ferendi, iterumque in eiſdem diſpenſandi, aut omninò tollendi pro locorum, temporum, & perſonarum qualitate, & exigentiâ, imò tranſgreſſores puniendi, rurſumque abſoluendi cum neceſſum eſſet; verè malè ordinaretur, peiùſque gubernaretur, eiúſque finalis concluſio

ruinam minitaretur, & in extremam rueret confusionem. At verò cum *Dei perfecta sint opera*, negari non potest quin in Ecclesiæ suæ institutione omnibus futuris euentibus itâ ab eodem prouisum fuit, vt nihil deesset, quod aut eiusdem sapienti institutioni in initio, aut gubernationi in temporis progressu, aut subditorum bonorum consolationi, aut malorum correctioni, aut inimicorum repressioni, aut coertioni proficuum, aut conducibile videbatur, aut posset imaginari. Talis enim est Dei non solùm scientia vt cognoscat necessaria, sed & prouidentia vt constituat, & ordinet conducibilia. *Quid enim est quod vltra debuit facere vineæ suæ, & non fecit?* Certum est ergô, quod cùm iam ipsemet personaliter non statuerit omnia ad Ecclesiæ suæ regimen necessaria (vti ipse disertis verbis ad passionem suam accedens profitetur, cum dicat: *Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modò. Cum autē venerit ille Spiritus veritatis, docebit*

Deut. 32. ℣. 4.

Isa. 5. ℣. 4.

Io. 16. ℣. 12.

vos omnem veritatem;) sed multa reliquerit Apostolis suis, ipsorumque successoribus statuenda: æquè item certum est, quod è consequenti authoritatem potestatemque eisdem reliquerit, & dederit ea facere, quæ ipse abiens infecta, imò non nominata reliquit: vtpotè ferre leges necessarias secundùm personarum, temporum, locorumque circumstantias; easdem rursum, cũ oportuerit, cassare & annullare, in eisdemuè dispensare, prout sibi ipsis in Domino videbitur expedire. Atque item delinquentes iuxtà earundem legum præscriptum, aut secundùm iustam rationis & æquitatis trutinam punire, & castigare: & ex aduerso cum eisdem pœnitentibus aliquid *humanius agere* (vt sæpiùs habent Concilia,) & inflictas castigationes vel ex toto remittere, vel ex parte saltem relaxare & mitigare, dum iustum & æquum æstimabitur: & similia. Quis hoc neget? Quis credet Ecclesiam sine authoritate in subditos à Christo fundatam? Quis adeò improuidum

prouidum insimulet Christum? Quis adeô nihili æstimet Ecclesiam? Ratio ergô dictat; experientia confirmat: at vt plena sit probatio, authoritates cape.

IV. *Quodcunque ligaueris super terram* (inquit Christus D. Petro Apostolorum Principi) *erit ligatum & in cælis, & quodcunque solueris super terrã, erit solutum & in cælis.* Et nè in errorẽ ducamur æstimãtes solum D. Petrum eam habuisse potestatẽ, eisdem quasi verbis omnibus simul Apostolis replicauit, dicens: *Amen dico vobis, quæcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Quibus si addantur illa verba: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittũtur eis, & quorũ retinueritis, retẽta sunt:* certo certius inueniemus patẽtes Apostolorum literas amplissimas omninò fuisse. Quodcunq; enim D. Petro dictũ nihil quantũcunq; graue excipit ab authoritate ipsius: sicut nec *quæcunq;* omnibus Apostolis; nec etiã

Mat. 16. ℣. 19.

Mat. 18. 18.

Ioa. 20. ℣. 23.

quorum

quorũ omnibus item Apostolis dictũ quācunque eximit personam, quantumcunque eminentem, aut humilē delinquentem, modò sit in terris; nec habetur in his commissionibus vlla cuiuscunque curiæ (sit interna conscientiæ, aut externa in foro iudiciali) exceptio, aut restrictio. Poterant ergô Apostoli (possunt & modò ipsorum successores) vi harum cōmissionum in quocunque foro pænitentiali, aut litigioso *ligare*, vel *absoluere in terris quodcunque*: & quicquid ipsi fecerint hic *in terris*, ratum habebitur, & *ligatum*, vel *absolutum* erit respectiuè *& in cælis*, Deo confirmante, & ratum habente quicquid tales ipsius delegati in his omnibus circâ quascunque personas statuerint, aut determinauerint. Ampla equidem delegatio! nec poterāt patētes literæ aut ampliores, aut magis generales cōcedi.

V. Nec Apostolorum, aut Ecclesię sanctæ praxis minor est, aut fuit, quàm secundùm datas patentes quoad totam earum latitudinem (prout occa-

sio

sio se obtulit) executionis integram potestatem impendere. Nôrant enim Apostoli, Ecclesiæque Prælati commissam sibi â Christo Iesu amplissimam authoritatem Ecclesiam suam subditosque eiusdem gubernandi, *ligando & absoluendo, retinendo & remittendo peccata, & quodcunque* aliud; ideòque eam in eum effectum secundùm totam suam latitudinem sæpiusculè practicarunt. Et idcircò per hanc supremam, & illimitatam authoritatem indixêrunt Apostoli Hierosolymis Concilium, & legem statuêrunt ab Ecclesiâ, eiusdemq; subditis obseruandam, eandemque intimârunt esse decretam â se, & â *Spiritu illo veritatis* (qui â Magistro suo Iesu Christo sibi promissus *doceret illos omnem veritem*) processisse: *Visum est enim* (inquiunt) *Spritui Sãcto, & nobis, nihil vltrà imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria*, &c. En praxin formalem legum condendarum, & subditorum obligandorum ad earundem obseruantiam: & hoc per illos, qui Iesu Christi

Io. 16. ℣. 13.

Act. 15. ℣. 28.

ſti Magiſtri ſui optimè nôrant volũtatem, & ſuæ iuriſdictionis poteſtatem; quo clarius nihil. Necnon, & eâdem ſupremæ poteſtatis iuriſdictione munitus, & fretus D. Petrus Ananiam, & Saphyram pro culpâ in Spiritum Sanctum commiſsâ, morte multauit; quod genus punitionis maximum iure æſtimatur, cum etiam vitâ ipſâ priuet. Per eandem etiam Simonis Magi *peccatum retinuit*, id eſt, non abſoluit, *quiá in felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis vidit eum eſſe.* Nec ille ſolus, ſed & D. Paulus nouit ſe eâdem ſupremâ, & illimitatâ ſuffultum iuriſdictione, & authoritate, ideòque minitatus eſt ſe ad Corinthios venturum *in virgâ*, ad caſtigandum *inflatos*, & inobedientes: & potenter quoſdam fideles *tradidit Sathanæ, vt diſcant non blaſphemare.* Per eandem item Elymam Magum cęcitate percuſſit corporali. Nec non & inceſtuoſum Corinthum Sathanæ *tradidit in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini noſtri Ieſu*

Act. 5. ℣. 5. & 10.

Act. ℣. 21. 23.

1. Cor. 4. ℣ 19. & deinceps.

1. Tim. 1. ℣. 20.

Act. 13. ℣. 11.

1. Cor. 5. ℣. 5.

su Christi: eundemque iterum pro li-bito liberauit, & *condonauit*. Et in eum effectum epistolis suis Timotheum, & Titum reliquosque Ecclesiarum Prælatos (vt sciamus non tantùm Apostolis solis, sed & suis successoribus amplam eam authoritatem concessam esse) instruxit, quî debeant commissos sibi greges regere, & gubernare: *Argue* (inquit in vnâ) *obsecra, increpa in omni patientiâ, & doctrinâ*. *Argue* (in aliâ) *cum omni imperio*. Et in vniuersum, vt sciamus Episcopos omnes, & Ecclesiæ Prælatos hâc munitos plenariâ potestate, congregatis Mileti Episcopis ait; *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*.

2. Cor. 2. ℣. 20.

2. Tim. 4. ℣. 2.

Tit. 2. ℣. 15.

Act. 20. ℣. 28.

VI. Nec minor erat praxis successorum in primitiuâ Ecclesiâ Dei, & confesso illo puritatis Euangelicæ tẽpore. Per eandem enim à Deo acceptam plenariam potestatẽ statuti sunt omnes illi Apostolorum, Niceni, Ancyrani, Elibertini, reliquorumque

Con-

Concilioru antiquoru, & modernoru Canones: per eandem Pontificum decreta, & sanctiones prodierunt: per eandem Confessarij in foro pœnitiali iniunxere semper, & iniungunt etiam nunc pœnitentias, & satisfactiones: per eandem denique Superiores, Episcopi, & Ecclesiæ Prælati excommunicationes fulminarerunt in Imperatores, Reges, & alios Ecclesiæ subditos; regna, prouincias, ciuitates, & communitates interdixerunt: suspenderunt, depriuârunt, & degradârunt Patriarchas, Episcopos, Sacerdotes, &c. Ordinârunt vigilias, & ieiunia; festos præscripserunt dies; tempora matrimonia celebrandi ordinârunt, & publicas quandoque pœnitentias, & satisfactiones delinquentibus imposuêre: omnē denique practicârunt iurisdictionem ad bonum Ecclesię regimen, animarumque sibi commissarum salutem necessariam. Et hoc adeò euidens, & palpabile verum est, & rationi consentaneum, vt quicunque negauerit, te-

statum

statum de se relinquet, se nec nôsse quid conducat ad Ecclesiæ Dei regimen, aut cuiuscunque alterius reipublicæ aut communitatis gubernationem, imo vero vix qui seipsum in communitate quacunque comportet vt subditus: multo minus alios regere, licet familliam propriam, vxorem, filios, aut domesticos quoscunque, & proinde parum à phrenetico fatuoue distabit.

VII. Attamen vt & hæc nostra plena sit probatio, vnum aut alterum è Patribus dabo. *Quocirca stude* (inquit D. Clemens,) *Episcope, vt mundus purusque sis, locum tuum dignitatemque tuam actionibus declara, vtpote qui exemplar Dei apud homines repræsentas, præsidendo omnibus hominibus, Sacerdotibus, Regibus, Magistratibus, parentibus & filijs, & pariter cunctis subiectis: Ac sic quidem in Ecclesia sede sermonem facito, vt qui potestatem habeas iudicandi eos qui peccarunt: quoniam vobis Episcopis dictum est: Quodcunque ligaueritis super terram erit ligatum & in cælis & quod-*

S. Clem. l. 2. Const. Apostol. c. 11. & 12.

cunque solueritis super terram, erit solutum in cœlo. Iudica ergò Episcope potestate fretus tanquam Deus, sed pœnitentes recipe, &c. Quid plenius dici potuit? Quæ maior authoritas attribui? *Iudica Episcope potestate fretus tanquam Deus.* Immensa iurisdictio! confirmata tamen ex verbis Domini. Scriptum autem nobis hoc reliquit D. Petri discipulus, qui exindè iure, & facili negotio Apostolorum hâc in materiâ & sententiam noscere, & praxin videre oculis potuit procul dubio. Eiusdéq; D. Petri successor ab ipso D. Petro designatus cum fuerat, officij sui, & pastoratus authoritatem, & potentiam nouisse quàm accuratissimè debuit, & pro certo nouit: Cumque sanctissimus fuerat in terris Pontifex miraculorum patrator magnificus, & Martyr modò in cœlis coronatus, tantam tamque amplam nunquam exercuisset iurisdictionis potestatem aut alijs exercendam proposuisset, & docuisset, nisi puram puramque nouisset eam fuisse veritatem.

VIII

VIII. Multa in eundem sensum habet D. Augustinus: alicubi enim scribit: *Spiritalis pœna, quâ fit quod scriptum est, quæ ligaueris in terrâ, erunt ligata & in cælo, animas obligat.* Audi: *animas*, inquit, *obligat*. Nihil efficacius. Et alibi: *Sed neque de ipsis criminibus quantumlibet magnis remittendis in sanctâ Ecclesiâ Dei desperanda est misericordia agentibus pænitentiam secundùm modum sui cuiusque peccati.* Et paulò inferiùs: *Quià plerumq; dolor alterius cordis occultus est alteri, rectè constituuntur ab eis qui Ecclesiæ præsunt tempora pænitentiæ, vt fiat etiam satis Ecclesiæ, in quâ remittuntur ipsa peccata, extrà quam quippe non remittuntur.* Imò verò & de foro pænitentiali idem meminit, dum ait. *Sed & secretâ satisfactione solui crimina mortalia non negamus.* Vide Cyprianum suprâ citatum de eâdem in foro interno potestate. Sensato cuiuis isthæc sufficere poterũt in materiâ per se itâ euidenti; & proindè hîc sistam gradum, ad alia progressurus.

D. Aug. ep. 75. ad Auxiliũ Episc.

Aug. ca. 65. Enchyridij

ca. 2. §. 3. nu. 7.

§. 6.

Quod pœnæ istæ imponantur in veram, & realem peccatorum satisfactionem.

I. Falsò, & ineptissimè comminiscuntur hæretici, pænas nobis pro peccatis inflictas non esse præteritorum satisfactorias; cum velint solum Iesum Christum Redemptorem nostrum pro omnibus sufficienter satisfecisse, itâ vt non sit necesse, vt nos in aliquo satisfaciamus, aut vlteriùs quid agamus, nisi externâ corporis, & actionum compositione internam animi pænitudinem fratribus in Ecclesiâ testatâ relinquere. Itâ Lutherus: *Vehementer odi, inquit, & sublatum vellē hoc vocabulū (satisfactio) quod non modò in Scripturis non inueniatur, sed & periculosum habet sensum, quasi Deo quisquam possit pro vllo peccato satisfacere, cum*

Luther. in assert. art. 5.

, cum gratis illi ignoscat omnia. Item
erum alibi: *Post peccata etiam grauis-sima satisfactio nulla facienda est à nobis, satisfactioni Christi derogemus.* Simi- habet & Caluinus: *Tertiū locū* (in uit) *satisfactionis in pænitētiā aßignant, quā quicquid blaterant vno verbo sub-erti potest. Dicunt non sufficere pæni-enti à peccatis præteritis abstinere, nisi eis quæ facta sunt satisfiat* Deo : *esse utem multa adminicula, quibus peccata dimas, lachrymas, ieiunia, charitatis of-cia,* &c. *Talibus mendacijs oppono gra-uitam peccatorum remißionem, quā ihil in Scripturis clarius prædicatur.* Et alibi : *Ferulis,* inquit, *verberan-tur filij, non vt multam delictorum per-soluant, sed vt indè ad resipiscentiam roficiant: proindè ad futurum eas po-ius, quam in preteritum tempus respicere ntelligimus.* Nec aliter sentiunt reliqui Nouatores.

Luther. serm. de pænit.

Cal. li. 3. Inst. c. 4. § 25.

Cal. li. 3. Instit. c. 4. §. 33.

II. Nos autem aliter de satisfactio-e statuendum non solùm censemus, ed & de fide tenendum esse, Deo iuuente, probabimus. Quid enim

aliud dicit prima illa pænitentia à Deo ipso imposita primo nostro Parenti Adamo, nisi quod in pœnam peccati preteriti inflicta sit: *Dixit enim Dominus: Quià audisti vocem vxoris tui, & comedisti de ligno ex quo præceperam tibi nè comederes, maledicta terra in operâ tuâ; in laboribus comedes ex eâ cunctis diebus vitæ tuæ*, &c. Coniunctio enim illa (*quià*) est causalis, & causam reddit maledictionis terræ, & laborum, & sudoris Adæ, itâ vt propterea quod audierit vocem vxoris suę, & comederit ex fructu vetito, punitur: non autem in cautelam futuram: àblata est enim futura possibilitas peccandi in eodem genere per expulsionem è Paradiso; nec in ædificationẽ proximi, aut Ecclesiæ, prẹsertim cum proximus aut Ecclesia nondum fuerant.

Gen. 3. ỳ. 17.

II. Nec dissimile est illud Numerorum, vbi: *pergat* (inquit Dominus ad Moysen) *Aaron ad populos suos; non enim intrabit in terram, quam dedi filijs Israel, eo quod incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis.* Si enim illa

Nu. 20. ỳ. 24.

duo

duo verba (eo quod) non reddunt rationem cur Aaron morte multatus sit in deserto , nec intrauerit terram promissionis, ego quidem nihil intelligo: ea autem ratio non fuit alia , nisi propter peccatum incredulitatis præteritum. De futurâ autem emendatione, aut aliorum ædificatione nulla hîc mentio.

III. Quid dicam de verbis Nathā Prophetę ad Dauid Regem de adulterio, & homicidio culpatum. Ait enim 2. Reg. 12. ℣. 13. confitenti: *Dominus quoque abstulit peccatū tuū, non morieris: veruntamē quoniā blasphemare fecisti inimicos nomē Dñi, propter verbū hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur.* Certè (*quoniam*) causam reddit mortis infantis nati: scilicet in punitionem scandali dati per Dauidem, vtique præteriti.

IV. Nec minus affirmat ipse Dauid in suis Psalmis, cum ait ex ore Ps. 88. ℣. 32. 33. Domini: *Si iustitias meas propbanauerit, & mandata mea non custodierint, visitabo in virgâ iniquitates eorū, & in verberibus peccata eorum.* Euidētissimum est hoc.

V. Nec sufficit respondere, quod hi omnes Euangelium præcessêre: *pro omnibus enim mortuus est Christus*: &, *ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi*: & satisfecit æquè pro peccatis primorum Patriarcharum, atque pro delictis modernorum Christianorum. Vnde si ab omni satisfactione pro peccatis præteritis excusamur nos, excusabantur item & Patriarchæ antiqui ab omni itidem pænâ pro suis iam perpetratis delictis; hoc autem quàm euidentissimè est falsum, ergô & illud: nec potest vlla disparitas assignari.

2. Cor. 5. ℣. 15.
1 Ioa. 2. ℣. 2.

VI. Imò & in Euangelio habemus: *Date eleëmosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*. Iuxtâ illud Danielis: *Peccata tua eleëmosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum*. Nempè pænali eleëmosynarum operâ pro peccatis præteritis satisfacias, & misericordiæ virtutis actibus eadem redime: hoc est, *facias fructus dignos pænitentiæ*: Pænitentiæ, inquit,

Luc. 11. ℣. 41.
Dan. 4. ℣. 24.
Mat. 3. ℣. 8.

quæ nunquam fit pro futuris, sed magis in præteritorum recompensationem. Et hic primus, & præcipuus pænitentiæ fructus, satisfacere pro factis, & præteritis: secundarius autem fortè erit ædificatio proximi: sequetur enim hic ex illo. Verus enim, & primarius pænitudinis effectus est de peccatis præteritis dolere, & pro eisdem diuinæ iustitiæ satisfactionẽ reddere; & per hunc fit, *vt qui illicita se meminit commisisse, à quibusdam etiam licitis studeat abstinere: quatenus per hoc Conditori suo satisfaciat, vt qui commisit prohibita, sibimetipsi abscindere debeat concessa.* Euidentissimum ergò est, quod debeat quisque peccator etiam de preteritis suis pænitentiam agere in veram, & realem delictorum suorum satisfactionem.

D. Greg. hom. 34. super Euang.

VII. Nec desunt Patres innumeri, qui hoc disertis affirmant verbis. Legatur D. Clemens, qui diuersis delictis diuersas iniungendas consulit pœnas, & addit: *Siquidem lex non omne deli-*

D. Clem. const. Apost. l. 2. ca. 52.

delictum eodem supplicio puniebat. Et specialiter ibidem enumerat pro qualitate peccatorum pęnalitatum diuersitates.

Orig. in li. Iudi- cũ, ho. 3.

VIII. Et Origenes: *Quanto tempore errasse te nosti, quanto tempore deliquisti, tãto nihilominus tempore humilia teipsum Deo, & satisfacito ei in confeßione pænitentiæ.*

D. Chry. ho. 41. ad Pop. An tioch.

IX. D. Chrysostomus: A *nobis ipsis,* inquit, *vltionem sumamus, nos ipsos accusemus, itâ placabimus Iudicem.*

D. Cyp. epist. 40. Idẽ ep. 52. 55. 59. 64. 10. 26. 27. & de oper. & eleë mos. & l. de lapsis

X. D. quidem Cyprianus: *Si quis,* inquit, *pænitentiam agere, & Deo satisfacere detrectans, ad Fæliciβimi & satellitum eius partes conceßerit, & se hæreticæ factioni coniunxerit, sciat se posteâ ad Ecclesiam redire non poße.* Et alibi: *Neminem putamus á fructu satisfactionis, & spe pacis arcendum,* &c. Et alibi sępè.

Lact. l. 4. Inst. ca. 17.

XI. Lactantius item ait: *Volens vitæ ac saluti nostræ pro æternâ suâ pietate consulere, pænitentiam nobis in illâ circumcisione proposuit, vt si cor nudauerimus, id est, peccata nostra confeßi*

ßi ſatis Deo fecerimus, veniam conſequamur. Et alibi: *Poteſt homo reduci ac liberari, ſi eum pæniteat actorum, & ad meliora conuerſus ſatis Deo faciat, quod fieri poſſe Cicero non putauit.* Videtur equidem Lactantij ſententiâ Nouatores noſtros Ethnicis potius ſociandos quàm Chriſtianis.

Idem li. 6. c. 24.

XII. Nec non & D. Ambroſius: *Pænitudo,* inquit, *neceſſaria eſt, ſicut vulneratis ſunt neceſſaria medicamina. Sed quanta putas, aut qualis neceſſaria pænitentia? quæ aut æquet crimina, aut certè excedat.* Et ſubiungit multa de modò pænitendi, & poſteâ addit: *Peccator ergò ſi ſibijpſi non pepercerit, á Deo illi parcitur, ſi futuras pænas gehennæ perpetuas in hoc paruo vitæ ſpatio compenſauerit, ſeipſum ab æterno iudicio liberat. Grandi plagæ altá & prolixá opus eſt medicina: grande ſcelus grandem neceſſariam habet ſatisfactionem.* Multa item habet in eundem effectum in diuerſis ſcriptorum ſuorum libris.

D. Amb. ad Virg. lapſam.

D. Amb. l. de Elia & ieiun. c. 20. Ep. 82. ad ec. clei. Vercell. l. 1. de pæn. c. 2. & 16 & l. 2. c. 5. & 10.

XIII. D. audite Hieronimum: *Qui peccator eſt,* inquit, *& quem remordet*

D. Hier. in ca. 1. Ioel, ad

propria

illa verba actinгite vos & plangite.

propria conscientia, cilicio accingatur, & plangat vel propria delicta, vel populi, & ingrediatur Ecclesiam, de quâ propter peccata fuerat egressus, & cubet vel dormiat in sacco, & præteritas delitias, per quas offenderat Deum, vitæ austeritate recompenset.

XIV. Afferamus modò D. Augustinum, & itâ subsistamus; immensum enim esset opus omnes in medium producere Patres: ideò enim vero verior est in hâc materiâ fides nostra, vt nè vnum ex antiquis Patrem aliter sentientem inuenire quisquam poterit. D. ergò inquit Augustinus: *Non sufficit mores in melius commutare* (videtur equidem præuidisse erroneas Nouatorum nostrorum opiniones) *& á factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis: beati enim misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus. Non enim dictum est, vt tantum abstineatis a peccatis, sed &*

D. Aug. ho. vlt. inter 50. ho. c. 5.

de

de præteritis, *inquit*, *deprecare Dominum, vt tibi dimittantur.* Nec dissimilia habet capite præcedenti.

XV. Mirum ergò est, quod Nouatores nostri adeò perfrictæ sint frontis, vt negent pœnas peccatis debitas præteritorum satisfactorias esse; & solùm Ecclesiæ ædificatorias, aut futurorum cautiones esse velint, cum adeò clarum sit ex praxi Dei, Scripturæ testimonijs, & antiquorum Patrum sensu, eas impositas, & imponendas tam in Veteri, quàm in nouo Testamento in veram realémque commissorum delictorum emendationem, & recompensationem fuisse, & esse. Adam, Aaron, Dauid pro præteritis satisfecerunt. Daniel, & Christus ipse Dominus volũt eleemosynis pro iam perpetratis satisfaciendum; & Patres omnes quasi ad vnũ hoc clamitant: at soli recentiores nostri Euangelici contrariũ inculcant, & volunt. Quibus ambobus credendũ? quorum precor standum sententijs? Mallem certè ego cũ prioribus errare

(si

(si hoc sit errare,) & *puniri hic temporaliter, vt parcatur mihi æternaliter*: quàm cum delicatulis hisce Nouatoribus *in bonis hic deducere dies meos, & in puncto ad inferna descendere.*

§. 7.

Anacephaleosis.

I. STat ergò irreuocabile verbum, quod peccatis remissis remaneat aliqua pœnalitas temporalis persoluēda in veram ipsorum præteritorum delictorum satisfactionem: hanc autem pœnam determinatam tam in foro poli, quàm in foro soli, & posse, & de facto esse. Et è consequenti facili negotio inuenienda est, & assignanda huius capitis responsio. Si enim petatur, *qui sint Indulgentiarum effectus?* illicò huic liquet subiungere resolutionem in hunc modum. *Indulgentiæ diuinæ iustitiæ reddunt satis pro temporali illâ pœnalitatum portione, quæ*

spec-

(*peccatis præteritis remißis, & æternitate punitionis mortalibus delictis debitæ cancellatâ*) *restabat soluenda*: scilicet pro illâ pęnalitate, quę contrahitur ex veniali peccato quocunque nōdum persoluta, aut certè ex pænitentiâ in confessione priuatâ & auriculari impositâ, aut etiam ex Canonibus Ecclesiasticis, aut denique ex ipsâ secretâ & inscrutabili diuinę iustitiæ sententiâ, vel hîc, vel in Purgatorio soluenda, sit pro veniali, aut etiam mortali condonato, & supplicij (eidem debiti) æternitate remissâ. Dei etenim iustitia, quum sit æquissima (imò ipsa æquitatis perfectio) debet ex omni parte adimpleri, eidemque satisfieri: Vndè licet misericordissimè Deus filius sacratissimâ suâ passione itâ satisfecerit pro peccatis nostris, vt gratis nobis remittatur & culpæ mortalis noxa, & punitionis illi debitæ ęternitas: aliquid tamen pro posse nostro â nobis expectatur, & exigitur ad iustitiæ diuinæ satisfactionem, & peccatorum nostrorum commissorum

sorum recompensationem. Cumque ex multitudine, & grauitate delictorum in magnum cumulum crescere poterant istiusmodi pænalitates, ità vt quidam fortè pænitens vel ex breuitate vitæ (vtpotè iam forsan spiritum exhalaturus,) vel ex corporis debilitate & teneritudine, vel item aliundè maioribus virtutum exercitijs occupatus (vtpotè quæ ad maiorem Dei gloriam, Ecclesiæque suæ emolumentum cedant) tam in temporis longitudine, quàm in austeritatum rigore satisfacere non poterit; pientissimè est à Deo prouisum, & ab Ecclesiâ practicatum, vt ex tanto thesauro satisfactionū Iesu Christi, & Sanctorum eius in Ecclesiæ gazophilacio reseruatarum, alijsque Ecclesiæ membris necessitatem habentibus communicabilium, Ecclesiæ Prælati portiones quasdam distribuant, singulis quippè prout necesse habuerint: ità vt pænitens hîc defectiuus in satisfactionibus, in tempore, in possibilitate, & similibus, recipiat

recipiat è dicto Thesauro tantum nec plus minusue, quantum Diuina ab illo exigat iustitia; & exindè fit, vt satisfiat in rigore iustitiæ Diuinæ ad æqualitatem, licet non totaliter ex ipsius pænitentis satisfactorijs operationibus, ex alijs tamen eiusdem corporis membris, vel capite ipso; ideòque debitum totum ex integro Dei soluitur iustitiæ; & pænitens ipse absolutus manet. Clarum est hoc totum ex prædictis.

II. Inuenimus ergò membrorum Ecclesiæ communionem, Thesaurum item maximum satisfactionum, debitum aliquod temporale, etiam peccatis remissis, & deficientes pænitentes. Restat modò inquiramus, num quispiam habeat authoritatem expendendi, & distribuendi dictum thesaurum, eumque deficientibus elargiendi; & è consequenti ad tertiam nostram procedendum quæstionem, quæ fuit eiusmodi.

CAPVT III.

Quis poterit Indulgentias elargiri?

§. I.

Quædam supponenda.

I. ANTEQVAM progrediamur, ad futurorum meliorem intelligentiam quædam præmittenda sunt, quibus dicenda magis elucescent.

II. Sciendum ergò primùm est, posse hominem in duplici considerari sta-

ri statu: aut enim est in statu peccati mortalis, aut non. Qui in statu peccati mortalis est, omni Dei destitutus gratiâ manet, eiusque inimicus effectus & constitutus. Et in hoc casu certo certius est, nihil posse eum mereri, aut satisfacere de condigno. Actiones enim â tali procedentes peccatore humanæ merè sunt, & moralitatem quandam præ se ferentes, nullum tamen meritum afferunt, nec sunt operatoriæ salutis. Patet hoc euidenter è Scripturis, & Patribus. *Sine me* (inquit Christus) *nihil potestis facere*. Et D. Paulus: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Et; *Quid habes, quod non accepisti?* Et: *Gratiâ Dei sum id quod sum.* Et: *Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum: non quod sufficientes simus cogitare aliquid â nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et; *Deus est qui operatur in vobis, & velle, & perficere pro bonâ voluntate.* Et D. Iacobus: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens â Patre luminum.* Isti autem euidentissimi

Io. 15. ℣. 5. Rom. 9. ℣. 16. 1. Cor. 4. ℣. 7. 1. Cor. 15 ℣. 10. 2. Cor. 3. ℣. 4. Philip. 2. ℣. 13. Iac. 1. ℣. 17.

ſimi Scripturę ſacræ textus, ſi intelligantur de actionibus noſtris in gratiâ factis, itâ vt etiam tunc, cum non ſimus alicuius peccati mortalis conſcij, & Dei amici, nihil poterimus ſinè Dei particulari aſſiſtentiâ facere, quod bonum ſit, & ad vitam conducibile æternam; multò certè magis intelligi debent de actionibus noſtris in peccato mortali factis; hæ enim multò minùs bonæ erunt, aut inductiuæ conuerſionis noſtræ, aut operatoriæ ſalutis æternæ ſine ſpeciali Dei gratiâ excitante, & adiuuante. Et ideò dicit Hieremias Propheta: *Conuerte me, & conuertar, quia tu Dominus Deus meus: poſtquam enim conuertiſti me, egi pœnitentiam: & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum.* Et Dominus Ieſus Chriſtus: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Nec deſuit Patres multi idem affirmantes. D. enim Ioannes Chryſoſtomus ait: *Omnes homines antequam peccemus, liberum quidem habemus arbitrium,*

Hier. 31. ỹ. 18.

Ioa. 6. ỹ. 44.

D. Chry. ho. 23. ex var. ijs in Mat. locis.

trium, si volumus sequi voluntatem diaboli, vel non: Quòd si semel peccantes obligauerimus nos operibus eius, iam nostrâ virtute euadere non possumus: sed sicut nauis fracto gubernaculo illuc ducitur, vbi tempestas voluerit: sic & homo diuinæ gratiæ auxilio perdito per peccatum, non quod vult agit, sed quod diabolus vult. Et *nisi* Deus *validâ manu misericordiæ suæ soluerit eum, vsque ad mortem in peccatorum suorum vinculis permanebit.* Ergò *nostrâ quidem negligentiâ, & voluntate alligamur, sed per* Dei *misericordiam absoluimur.* Et D. Hieronimus: *Homo à principio conditionis suæ Deo vtitur adiutore, & cum illius sit gratiæ quod creatus est, illiusque misericordiæ quod subsistit & viuit, nihil boni operis agere potest absque eo, qui ità concessit liberum arbitrium, vt suam per singula opera gratiam non negaret,* &c. Et concilium Africanum: *De fructibus mandatorum Domini loquitur, vbi nō ait, sine me difficiliùs potestis facere, sed ità, sine me nihil potestis facere.* Et ibidem, Anathema dicit contrarium affirmātibus.

D.Hier. ep. 139. ad Cyp.

Concil. Africa. An. 420.

Concil. Arau. 2. c. 19.

tibus. Denique Arausicanum Concilium ait: *Cum natura humana sine gratiâ Dei salutem non potest custodire quam accepit, quomodò sine gratiâ Dei poterit reparare quod perdidit?* quasi diceret, nullo modo. Concludamus cum Monacho illo Angliæ nostræ Apostolo D. Gregorio, qui sic ait: *Vitiato in primo Parente libero arbitrio, iam nec velle quidem bonum possumus, nisi illius gratiâ adiuuemur, apud quem gressus hominis diriguntur: scriptum quippe est: Præparatur voluntas à Domino.* Manet ergô firmum, hominem in peccato mortali subsistētem, quamdiu itâ manet, cum sit omni Dei gratiâ destitutus, nihil posse boni ex se operari, quod sit vel meritorium, vel etiam satisfactorium, conducensuè quouis modo ad salutem de cōdigno, cū omnes ipsius actiones taliter productæ sint gratiâ carentes, & actiones inimici Dei.

D. Greg. in Ps. 7. pænit.

III. Poterit item considerari homo quatenus a peccato resuscitatus, & iā Dei factus amicus: (*Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis:*) *& filius*

Ioan. 15. ℣. 14.
Rom. 8. ℣. 17.

lius Dei adoptiuus, & hæres quidem Dei, cohæres autem Christi; & denique ex gratiâ virtutum actiones meritorias, & satisfactorias operans. Quatenus autem est *filius, & hæres Dei*, vita æterna illi debetur iure hæreditario: quatenus autem operans ex gratiâ, vita illi æterna debetur tanquā *merces*, vtpotè *denarium ex conuentione pro labore in vineâ Domini*. Reddet enim *Deus vnicuique secundū opera sua*: quià certū est, quod *seruando mandata* (ex dicto Domini) *vitā possidebimus æternā*. Nec sufficit respōdere, quod æterna beatitudo infinita sit, opera autē nostra tēporanea, & valoris finiti, ideòq; maximā esse improportionē inter op⁹, & mercedē, ac proindè credibile nō esse, iustū Iudicē adeò limites iustitię excessurū, vt pro finito, & tēporaneo infinitū, & æternū tanquā mercedē, quæ iusta, & operi proportionata esse debet, redditurū. Nā r. remunerat Deus adeò vltrà condignū, vt *quia reliquimus omnia, & secuti sumus eū, cētuplū accipicmus, & vitā æternā possidebimus*. Deindè

Mat. 20. ℣. 13.
Mat. 16. ℣. 27.
Mat. 19. ℣. 17.
Mat. 19. ℣. 29.

ſecundò ex hinc, & alijs eiuſdē largiſſimis promiſſionibus paciſcitur Deus cum humano genere ſe iam magna pro tam paruis operibus præmia largiturum: vndè ex pacto quodam acceptat opera noſtra, licet finiti valoris, & téporanea, quaſi digna mercedis infinitę, & ęternæ. Et certè tanti ſunt opera, quanti ab illo (cui, & pro quo producuntur.) æſtimantur, & ſecundū æſtimationem eiuſdē laudātur vel vituperantur, pręmiantur vel puniūtur; quod equidem etiam in humanis liquet quotidiè. Quotus verò ille eſt, qui Deo legem dabit? *An oculus tuus nequā eſt, quoniam ille bonus eſt? an non licet illi, quod velit facere?* Denique tertiò, non ſunt adeò improportionata opera noſtra è fonte Spiritus Sancti, & gratiā Dei procedentia ad vitam æternam. Licet enim hæc ſit valoris infiniti, vtpotè Deus ipſe, & durationis æternæ; illa etiam ratione gratiæ adiuuantis, & Spiritus Sancti aſſiſtentis habent ſuum valorem infinitum; non enim conſideranda ſunt

Mat. 20. ў. 15.

nudè

nudè, vtpotè mera humana opera; sed prout magnus ille Iesu Christi Apostolus ait, tanquam à Dei gratiâ procedentia: *Ipse enim Deus operatur omnia in omnibus*: imò equidem, *operatur in nobis & velle, & perficere pro bonâ voluntate*: *non enim sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quod si verum est, certè actiones nostræ non sunt adeò despicabiles, vt nullius æstimentur valoris; imò verò dum procedunt à Deo ipso in nobis, certè tanti dignę sunt pretij, vt iure, & de condigno mereantur vitam æternam, & sunt hâc ratione ad illam proportionatæ sufficienter, cum non sim ego solus qui laborem, sed *gratia Dei mecum*; imò nec sola gratia Dei sine meâ actione, sed *gratia Dei mecum*. Vndè nec ego solus, nec gratia Dei sola, sed insimul ambo, *gratia Dei mecum*; & consequenter illę ipsę actiones tam de me, quàm de Dei gratiâ procedunt, & proindè habebunt valorem

1. Cor. 12. ℣. 6.
Philip. 2. ℣. 13.
2. Cor. 3. ℣. 5.
1. Cor. 15. ℣. 10.

ex ipsâ *gratiá Dei*, quæ *operatur mecum*.

IV. Secundò de satisfactione supponendum est proportionaliter, & simili modo statuendum. Illa etenim satisfactio, quę ex gratiâ procedit, miram vim habet ad supplicium temporaneum delictis nostris debitum persoluendum, imò adeò intensa poterit esse, vt de condigno satisfacere quis valeat pro suis omnibus temporarijs pænis actu vnico, vti suprà explicauimus: temporarijs, inquam, quæ vel à venialibus delictis resurgunt, vel remissis mortalibus restant subeundæ: nam æternum illud culpis mortalibus debitum supplicium nullis humanis satisfactionibus æquari potest vnquã. Sicut enim non potest homo ex puris suis humanis actibus (dum peccato obnoxius mortali existit, vt suprà diximus) quicquam operari meritorium de condigno in conspectu Dei; itâ nec satisfactoriè, & è cõsequenti in infinitum iuxtà rationem & proportionem demeriti peccati mortalis, satisfacere omninò

ca.1. s.2. §. 5.

omninò nequit. Cum autem iam fit Dei amicus, æternitas supplicij peccatis debiti remissa est, & hoc non sui meriti causâ, sed mortis vnigeniti Dei intuitu. Sola enim Persona increata per naturam hypostaticè vnitâ merens, non solùm de condigno & ad æqualitatem, sed etiam de toto rigore iustitiæ, & cum infinito excessu potest alijs mereri gratiam. Atque itâ Christus solus de facto promeruit, nō solùm gratiam sanctificantem, sed etiam auxiliantem â primâ vsque ad vltimam; neque solùm personis gratis, sed etiam persecutoribus, pro eorum culpis plenissimè satisfaciendo, si velint se conuertere, & sibi applicare. Et exindè resurgens homo à peccato gratuitâ Dei donatione, nil habet infiniti soluendum, limitatum enim est omne quod debet, & aliquandò cum temporis tractu finietur & absoluetur. Pro temporali autem, quæ restat, pænâ, cum iam sit Dei amicus, & ex gratiâ coadiuuante operetur, condignè ex iustitiâ equidem satisfacere etiam

iam ad æqualitatem poteſt. Non enim eſt improportionata illa operationũ humanarum vis, ex gratiâ cooperante procedentium, ad naturam, qualitatem, & pondus pœnæ illius temporalis: imò equidem videbuntur operationes tales pœnis multò præponderare poſſe, cum habeant annexam ſibi coadiuuantem gratiam; vt ſuprâ diximus: nec poteſt in hoc eſſe vlla difficultas.

no præced & c. 1. ſ. 2.

V. Tertiò ad futurorũ intellectum meliorem occurrit ſupponendum; neque in Sacramentis, neque extrâ, peccatum quodcunque, aut quamuis illis debitam pœnam (æterna ſit, vel temporanea) relaxari itâ abſolutè, vt iuſtitię Diuinæ non ſatisfiat in integrum: quin potius certo certius eſt, eidem Dei iuſtitiæ ſemper ſatisfactum eſſe in ſolidum, vel propriâ delinquentis pœnitudine, & pœnalibus exercitijs, vel ſaltẽ per ipſas exquiſitiſſimas, & efficaciſſimas Ieſu Chriſti Redemptoris noſtri operationes, & paſſiones. Quicquid enim in Veteri Te-

ſtamento

ſtamento huiuſmodi remiſſum, & condonatum fuit, id totum intuitu, & in virtute paſſionum, & meritorum Meſſiæ futuri factum fuit: & modò in Teſtamento nouæ legis ſimili modo quicquid peccati mortalis, aut pœnalitatum æternę durationis nobis condonatum eſt, etiam reſpectu, intuitu, & in virtute earundem paſſionum, & meritorum eiuſdem Meſsię Redemptoris noſtri iam præteriti gratis remiſſum eſt, itâ vt pro eiſdem peccatis noſtris mortalibus, & pœnis pro eiſdem debitis, quantum ad æternitatem earundem, ſatisfit Diuinæ iuſtitiæ in ſolidum per eaſdem ſatisfactorias Ieſu Christi paſsiones, & adæqualitatem pro debitis noſtris totaliter redditur ſatis. Generalis eſt enim illa D. Pauli ſententiâ: *ſine ſanguinis effuſione non fit remiſsio.* Omnis ergô remiſſio noſtra fit intuitu paſsionis Ieſu Chriſti: *Ipſe enim eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, ſed & pro totius mundi.* Nec poſſumus aliter aut in Sacramentis, aut ſine illis

Hebr. 9. ℣. 22.

1. Ioa. 2. ℣. 2.

relaxa-

relaxationem eiusmodi quomodolibet obtinere, nisi per applicationem aliquo modo earundem satisfactionum, & perpessionum, quas ille pientissimus Redemptor noster subijt pro nobis.

VI. Addamus & quartò, supponendum esse, quod tanti nobiscum sint ipsius eximiæ passiones, tantique eiusdem merita; vt exindè pendere totaliter sciamus, & iure merito æstimemus omnes & singulas nostras actiones tam quoad meritum, quàm quoad satisfactionem. Verè enim dixit: *Sine me nihil potestis facere.* Et hoc est *manere in vite*, vt fundamentaliter, & quasi è radice & fonte Iesu Christi hauriant operationes nostræ energiam, & efficaciam ad omnis virtutis meritum, & satisfactionem.

Ioa. 15. ✝. 5. Ibid. ✝. 4.

VII. His suppositis facile erit quæstioni propositæ solutionem dare. Certum enim est Ecclesiam Dei, eiusque *Prælatos veras posse Indulgentias elargiri.* Hoc est: è Thesauro, & gazophilacio Dei tantum cuilibet distribuere

ſtribuere, ſatisfactionum, quantum pro peccatorum ſuorum debitis temporarijs æquandis neceſſum fuerit ad iuſtitiæ diuinæ ſatisfactionem. Probatur autem hoc euidenter.

§. 2.

Eccleſiam Dei, eiuſque Prælatos poſſe relaxare temporalium pænalitatum debita, Indulgentiaſque propriè dictas elargiri, probatur ex Scripturis, & ratione.

I. CApite præcedenti ſufficienter probauimus Eccleſiam Dei, eiuſque Prælatos, & etiam Confeſſarios ipſos in foro pænitentiali *ligare*, pænitentiaſque ſatisfactorias pro peccatis commiſſis infligere poſſe: Reſtat modò inquirendum, quis poterit *remittere*, quod illi priùs *ligâuere*: necnon etiam quis relaxare poterit

etiam

etiam eam debiti portionem, quam in secreto suo iudicio Deus ob defectum executionis pœnitentiæ sufficientis, aut inflictæ ordinauerit. Nec difficilis responsio, præsertim quoad priorem partem: *Eius est enim soluere, cuius est ligare.* Vel D. dicat Ambrosius: *Dominus par ius soluendi esse voluit, & ligandi, qui vtrumque pari conditione permisit: ergò qui soluendi ius non habet, nec ligandi habet.* Nouatianorum â multis sæculis condemnatorum hæresis erat nequissima, pariterque absurdissima (contrà quam hoc in loco D. inuehitur Ambrosius) asserens posse Ecclesiam in tantum subditos suos ligare, vt postmodum eosdem non poterit ab eâdem obligatione absoluere: ac proindè si quis est eiusmodi opinionis, Nouatianus sit, & eandem cum Nouato Hæresiarchâ Ecclesię subeat censuram, nec portio mea sit cum illo nec in magno, nec in paruo. Cordato cuiuis, vel ipso naturę lumine hoc patet: nec multũ istis morandũ esset, nisi quod Nouatores nostri

D. Amb. li. 1 de pœnit. ca. 2.

ſtri Nouatum ſecuti, in reprobum dati ſunt ſenſum, ità vt omnia etiam clariſſima inuertant: ideòque vel propter infirmos plus elaborandum hîc. Accipe ergô, & iuſtâ æquitatis lance ſubſequentia (pie Lector) conſidera teſtimonia.

II. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*, inquit Ieſus Chriſtus Apoſtolis ſuis, Eccleſiæ rectoribus: vndè tale deſumi poteſt argumentum. *Qui dat principale, dat & acceſſorium eius.* At verò pęnitentiæ, pęnalitates, ſupplicia, debita ſatisfactionum, &c: neceſſaria ſunt peccatorum acceſſoria: ergô Ieſus Chriſtus dando authoritatem Apoſtolis ſuis *remittendi peccata*, dedit item eiſdem Apoſtolis authoritatem remittendi pænitentias, pænalitates, ſupplicia, debita ſatisfactionum, &c. Maior eſt regula iuris. Minor per ſe patet: & ſequela benè infertur; ideòque inſolubile videtur argumentum.

Ioh. 20. ỳ. 23.

III. *Quæcunque ſolueritis ſuper terrã, erunt ſoluta & in cælo*, dictum omni-

Mat. 18. ỳ. 18.

Q bus

Mat. 16. ÿ. 19. bus Apostolis, & similia dicta D. Petro Apostolorum Principi soli apprimè nobis affirmant D. Petrum, reliquosque Apostolos collegas suos, & è consequenti vniuersam Ecclesiam Dei, Apostolorumque successores *omnem soluendi* potestatem à Christo Domino suscepisse: imò & itâ illimitatam, vt extenderetur ad *quæcunque*, & *quodcunque*; sint peccata mortalia, aut venialia: aut sint supplicia, & pænalia eisdē debita. quocunque modo cōtracta, vtpotè vel in foro conscientię, vel per pænitentias â Canonibus iniunctas, vel denique fuerint in secreto, & inscrutabili Dei auditorio determinata; quiâ nulla hic est exceptio. Ideò enim additur: *erunt soluta & in cœlo*. Et hinc est quòd absoluentes â peccatis mortalibus, *soluunt* â culpâ malitiæ infinitæ, & â pœnæ æternitate, quæ est etiam infinita. A maiore autem ad minus valet argumentum, ideòque non erit valdè mirum, si absoluentes ab infinitâ malitiâ, & infinitâ pœnâ authoritatiuè ex istâ Dei com-

commissione, dicantur etiam ex eâdem habere authoritatem absoluendi â pœnis finitis, & limitatis, eiusdem omninò naturę, & in eâdem serie collocatis; vtpotè quæ sint vtrobique peccatis debitę, præsertim cum largissimam, amplissimam, & illimitatissimam habeant potestatis authoritatem, & commissionem? *Quodcunque* enim, & *quæcunque* rerũ *soluendarum*, & *remittendarum* animas obligantium, cautionẽ, & exceptionẽ nullã omninò faciunt: vti benè D. Ambrosius ait: *Deus distinctionem non facit, qui misericordiam promisit omnibus, & relaxandi licentiam sacerdotibus sine vllâ exceptione concessit.* Et in cælo ratam, gratam, firmam, & acceptabilẽ fore asseuerat in foro poli qualemcunque talem absolutionem, *cuiuscunque* vel *quarumcunque* solubilium, etiamsi ex decreto Dei, & ipsius strictissimâ iustitiâ processisset illa debiti obligatio: ità vt obligatio respondendi pro eisdẽ etiã cęlesti in curiâ tollatur omninò. quod si tã largã habeãt Sacerdotes *soluendi*,

D. Ambr. lib. 2. de pœn. c. ...

in cęlesti curiâ tollatur omninò. Quòd si tam largam habeant Sacerdotes *soluendi*, & *remittendi* authoritatem, vt *quodcunque*, & *quæcunque* sine vllâ restrictione, modificatione, aut reseruatione quâlicunque, *super terram, & in cælo* absolutè, authoritatiuè, & potestatiuè absoluât; quis dubitabit eosdē Ecclesiæ Prę̄latos, & Pastores posse item authoritatiuè subditorū suorū pęnalitatum, & satisfactionū vincula, & obligationes peccatis suis debitas relaxare, imò *soluere*, defectibus ipsorū in satisfactione propriâ subueniēdo aliundè, eisdemque satisfactiones peccatis suis proportionatas è thesauro Ecclesiæ depromptas applicando? Minor quippe authoritas, & potestas requiritur debitorē è manibus creditoris liberare soluendo totum debitū, quàm vt absolutè, & simpliciter dicat: volo, liberetur debitor sinè vllâ debiti redditione.

IV. Verùm enimuerò hæc non est quæstio: non enim quæritur, si potest Prælatus *absoluere à quibuscunque*, sed vtrum poterit Prælatus Ecclesiæ, aut

Paſtor portiones reſeruatarum in Ec-cleſiæ theſauro ſatisfactionũ dare, & elargiri huic neceſſitato, & defectuo-ſo in proprijs ſatisfactionibus. Nec videtur vnũ ex alio ſequi. Vndè licet prius ſufficienter è locis prædictis cõ-uincatur: alterum tamen improbatũ manet, quod videtur Indulgentiarum proprium. Huic difficultati vt pleniùs reſpondeatur: ſciendum eſt, quòd in Indulgentijs duo ſint; abſoluere ſcili-cet â debito pænæ peccati, & è the-ſauro Eccleſię recompenſare pænam ipſam. Primum eſt iuriſdictionis, ideò-que vocatur formaliter *abſolutio*, quam Prælati Eccleſiæ exercere po-terunt in proprios ſubditos tantùm, in alienos autem non item, niſi ex conceſſione, & conſenſu proprij Su-perioris. Et hanc formaliter probant præcedentes authoritates. Alterum verò eſt ſuffragij actus, & vocatur formaliter *ſolutio*, quam Prælati exercere poterunt tam in ſubditos proprios, quàm alienos: in vtrâque autem tam *abſolutione*, quàm *ſolutio-ne* ſubſiſtit Indulgentiarum natura.

Indulgentia enim cum viuentibus est primariò *absolutio* debiti, & secundariò *solutio* è Thesauro tanti pro quanto: cum defunctis autem est primariò *solutio* tanti pro quanto, vel distributio seu communicatio Thesauri, & secundariò seu effectiuè tantùm *absolutio* & remissio debiti, seu *solutio* â pœnis debitis. Cum autem merita, & passiones Christi in vtrâque vim, & efficaciam suam habeant, nec tamen poterunt habere vim vllam nisi applicentur; hinc est, quòd ab authoritatem habentibus, & merita, & satisfactiones dictæ Christi indigentibus tã *absolutione*, quàm *solutione* distribuũtur: & idcircò vt vtramque authoritatem se suis dedisse Apostolis testetur Christus Dominus, aliquandò dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; vt *absolutionem* denotaret. Et item aliâs; *quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo*; vt *solutionem* designaret, & vt consequenter de neutrius authoritate dubiũ fidelibus suis remaneret. Cum enim ex priori loco

Ioa. 20. ℣. 23.
Mat. 18. 18.

potuerit

potuerit quis imaginari; quod Apostolorum suorum authoritatem restrinxisset Christus Dominus ad solam peccatorum, eorumque annexorum *absolutionem*, voluit ipse idem ex alterius Sancti Matthæi loci terminis amplioribus, & multò magis vniuersalibus mentem suam notam facere, itâ vt non solùm comprehendatur soluendi potestas quoad peccatorum vincula, sed etiam quoad omne aliud vinculum, vtpotè legum, itâ vt in eisdem poterint dispensare, & censurarum excommunicationis, suspensionis, interdicti, &c. ab eisdem *absoluendo*, vincula denique omnia *soluendo*. In his namque differentía magna est; Legum enim, & Censurarum pænæ in hoc mundo tantùm sunt debitæ, & hîc semper soluendæ. Vndè fit, quod Prælatorum Ecclesię sola voluntas easdem soluendi sufficiat; nec requiritur, vt ab earum debito quis sit absolutus, pia voluntatis dispositio in absoluto: quiâ etiã nolẽs absolui, eiusmodi gaudere potest absolutione.

Peccatorum autem pœnæ Deo debentur, & in alio mundo soluendæ sunt, nisi priùs hic iustitiæ satisfiat Diuinę. Vndè non sufficit ad eiusmodi absolutionem sola Pręlati Ecclesię voluntas absoluendi, sed requiritur vlteriùs pia dispositio voluntatis in absoluto: & prætereà necessum est, vt Dei iustitiæ aliquo modo fiat satis. Vndè cùm peccator non habeat ex suo, vndé iustitiæ satisfaciat Diuinæ, debet esse Thesauri Ecclesiæ dispensatio rationabilis eidem applicata. Prælatorum enim Ecclesiæ non est remittere pœnas debitas superiori Prælato, aut principali Domino, nisi dispensando, & ad æquale offerendo: & non incongruè in eum sensum intelligi potest illud D. Pauli: *Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Et hoc modo est, quod *Iustitia & Pax osculatæ sunt*: quià iustitiæ Diuinæ satisfit per sanguinem Iesu Christi: & tamen misericordia maxima est, quod *iustificati*

1. Cor. 4. ℣. 1.

Psal. 84. ℣. 11.

Rom. 3. ℣. 24.

cati

ti simus gratis per gratiã ipsius, per redẽptionem, quæ est in Christo Iesu, &c.

V. Addi etiam potest, quòd ipsummet verbum *solutio* in alio sensu nostrum formaliter probat intentum: scilicet soluendo nummũ pro nũmo, pœnã pro pœnâ, satisfactionem è thesauro Ecclesiæ pro satisfactione quam debet peccator, & non habet: verbum enim *solueritis* id æquè sonat, ac aliud; nec aliâs per vllum aliud eiusdem sententiæ verbum restringitur, *& in fauorabilibus ampliandum est semper*, secundùm iuris dictum: imò verò & in hoc sensu multi Græci authores accipiunt verbum illud textus originalis λύω: ait enim Herodotus ἐλύθη χρημάτων μεγάλων, id est, redempta est multâ pecuniâ. Et Lucianus: λύειν τὴν ἀπορίαν δεομένῳ leuare illi inopiam. Et Hesiodus: χρειῶν λύσις debiti solutio. Sed & Scriptura sacra alibi etiam in eo sumit sensu: *Magister vester non soluit didrachma?* Et *Mesa Rex Moab nutriebat pecora multa, & soluebat Regi Israel*

Mat. 17. ℣. 24.
4. Reg. 3. ℣. 4.

ad centum millia agnorum, &c. Cum ergò habeamus, quod in Scripturis alibi verbum *soluo* in istâ sumatur acceptione, & textus ipse Græcus faueat huic explicationi, quis vetat quin ità intelligamus? Manet ergò firmum, & stabile omnem iurisdictionem, & authoritatem tam *absoluendi*, quàm *soluendi*, etiam distribuendo thesaurum Ecclesiæ, Apostolis, eorumque successoribus à Christo Domino datam fuisse; ex quibus patet difficultatis solutio facilis, & euidens.

6. Ad pleniorem autem satisfactionem, iterum respondendum putamus sic. §. præcedenti sufficienter ostēdimus nullum omninò pænitenti remitti peccatum, nullam pænam peccati, sit in foro poli vel soli, nisi priùs iustitiæ diuinæ ad amussim fiat satis. At verò certissimum est, quòd Prelati Ecclesiæ poterunt & peccata, & peccatorum pænas pænitenti *remittere*, eumque *soluere*, vt planum est ex supradictis hoc §. & inferiùs adhuc euidentiùs probabitur; ergò re-

mit-

mittendo, & *soluendo peccata*, & pænas peccatorũ, satisfaciũt iustitię Diuinæ: at verò iustitię Diuinæ satisfieri non potest pro mortali ex proprijs absoluti peccatoris, ergò fit ex communibus Ecclésię, scilicet ex thesauro eiusdem. Per merita enim, & satisfactiones Iesu Christi, quæ pænitenti in Sacramẽtis applicátur, habet ille primã *absolutionem* â peccatis mortalibus, & eorum infinitâ malitiâ, & â debito pęnæ æternæ eisdem correspondente; ad iustitiæ autem diuinæ satisfactionem, ex ipsis satisfactionibus Iesu Christi, pro pænis illis infinitis, quibus astringitur pęnitens, *soluitur* infinita, pro portionata tamen quantitas. Patet, quiâ aliâs remissis peccatis mortalibus per pientissimam Dei misericordiam, iustitiæ diuinæ satisfactum non esset, quiâ non potest pænitens in infinitum satisfacere ex proprijs, & consequenter adhuc obnoxius supplicijs esset sempiternis: itâ vt & filius, & amicus Dei haberetur, quiâ peccata ei iam remissa sunt, & deputatus tamen

men, ac destinatus, & dãnandus esset ad pœnam saltem sensus in horribilibus inferni ignibus subeundam in perpetuum; quia iustitiæ non satisfit Diuinæ. Quod certè cum sit absurdissimum, apertissimè nobis affirmat, quòd cum Prælatus *remittit*, aut *solui* peccatum, pænasúe eiusdem, absolutè è thesauro dispensat, quantum opus habet, quo iustitiæ satisfiat Diuinæ. Certissimum ergò est, quòd quicunque in Ecclesiâ Dei habet *absoluendi* authoritatem, habet & *soluendi*, hoc est è thesauro Ecclesiæ distribuendi potestatem; nec quicquam meritò allegari potest in contrarium.

VII. Iterum tertiò probatur idem sic: datur in Ecclesiâ Dei thesaurus infinitus satisfactionum Iesu Christi, & Sanctorum eius (vt suprâ probauimus,) ergò qui ius habent Ecclesiam regendi, & gubernandi, habent item & ius eundem regendi & gubernandi thesaurum, & de eodem disponendi: at verò hic idem thesaurus mẽbris Ecclesiæ

c. 1. f. 2. § 3. & 4.

Ecclesiæ necessitatem habentibus est communicabilis (vti suprà itë probauimus) & è consequenti eisdem distribui potest, ergò qui eum gubernant, & regunt, & de eodem disponunt, poterunt eundem thesaurum hisce necessum habentibus Ecclesiæ membris distribuere. Quis neget? Præsertim cum Ecclesia Dei sit Hierarchia benè à Iesu Christo fundata, & ordinata. Et certè, in quâlibet Republicâ benè dispositâ, & ordinatâ mirum valdè esset, & in vanum, incassumque essent thesauri reseruati, si nullus esset qui in vsus publicos, & priuatos, vbi necessitas exigeret, eosdem posset distribuere, & erogare. *Frustrà enim fit potentia, quæ non potest reduci ad actum*: & frustrâ esset in Ecclesiâ thesaurus satisfactionum communicabilium, si nullus esset, qui eum distribuendo alijs communicaret. Imò non solùm frustraneum hoc, sed & absurdissimum. Quod equidem in tam insignibus animarum bonis

c. 1 f. 1.

nullo

nullo modo est concedendum.

VIII. At verò pręter isthæc generalia, ad particulares modò aliquas accedamus confirmationes. D. Paulus de Corinthij illius incestuosi pænitentiâ relaxandâ disserens, hæc habet: *Cui aliquid donastis, & ego: nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in personâ Christi, vt non circumueniamur à Sathanâ: non enim ignoramus cogitationes eius.* Et paulò antè præmisit: *ne fortè abundantiori tristitiâ absorbeatur, qui eiusmodi est:* Quasi diceret: Scio eum valdè contristatum, & nè circũueniamur & nos volentes benè, sed iustè & in rigore agere cũ illo, & ille fortè actus, & impulsus, aut saltẽ tentatus à Sathanâ (*cuius cogitationes malitiosas non ignoramus*: scimus enim, quià *tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret*) in desperationem labatur, misericorditer cum illo agendum putamus, totam licet non perfecerit pænitentiam, aut iustitię Dei ex integro non satisfecerit: *sufficit enim illi obiurgatio hæc, quæ fit à pluribus*

2 Cor. 2. ℣. 10.

℣. 7.

1. Pet. 5. ℣. 8.

2. Cor. 2. ℣. 6.

ribus. Propter quod obsecro vos, vt confirmetis in illum charitatem: & magis donetis illi (aliquid è thesauro Ecclesiç) & consolemini : quod autem vos feceritis in hac parte, ego ratum habeo, & quicquid ei donastis, & ego. Nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi. Quid euidentius dici potuit? Donauit in primeua sua significatione donum aliquod elargiri importat : & fauet textus Græcus: Licet enim ἐχαρίζομαι primò significet gratificor, habet tamen Homerus ἔδαρτα πόλλ᾽ ἐπιθεῖσα χαριζομένη παρεόντων fercula multa donans de præsentibus. Sed quid externos quærimus? quum ipsa Scriptura sacra illud ipsum verbum in ea sumat interpretatione? χρυσώματα τινα, inquit, τῶν τοῦ ἱεροῦ κοσφισάμενος ἐχαρίσατο τῷ Ἀνδρονίκῳ aurea vasa quedam templi furatus donauit Andronico. Et D. Petrus, ᾐτήσασθε ἄνδρα φονέα χαρισθῆναι ὑμῖν. Et petistis virum homicidam donari vobis. Et ibidem D. Paulus ipse; τὰ πάντα ἡμῖν χαρίσεται omnia nobis

Homerus Odissea.

2. Mach. 24. ℣. 32.

Act. 3. ℣. 14.

Rom. 8 ℣. 33.

nobis donauit. *Donauit* ergô D. Paulus. Quid amabô *donauit*, vel dono dedit? quid elargitus eſt? Si veniam tantùm: cur non dixit *condonauit*? Aliquid certè myſterij in hoc verbo *donauit* toties replicato latet, nec verbis Spiritus Sancti energiam ſuam adeò inſtanter inculcatis, ſolicitèque iam quater multiplicatis deeſſe putandum eſt. *Donauit* ergô D. Paulus aliquid, & hoc peccatori pænitenti, qui nondum Diuinæ iuſtitiæ fecerat ſatis ex integro; & hoc *in perſonâ Chriſti*; id eſt, ex authoritate, quam habuit à Chriſto. Hanc autem authoritatem fuiſſe Eccleſiaſticam, & ſpiritualem, nemo inficiâs ibit: igitur & quod *donauit, vt conſoletur* Corinthium illum defectuoſum, debet neceſſariò ſpirituale quid fuiſſe, deſumptum ex aliquo Eccleſiæ Theſauro ad ſupplendum defectus in pænitente. Et in hoc videtur D. Paulus alludere ad illud *quæcunque ſolueritis*, &c. ſecundùm energiam verbi *ſolutionis*, ſuprà explicatum numero 5.

IX. Sub-

IX. Subiungamus & illud D. Pauli ad Corinthios, vbi recensitis multiplicibus suis perpessionibus, tandem ait: *Nec tamen debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filijs: ego autem libentißimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris.* Quid hîc censemus dixisse D. Paulum, nisi hoc? Multa tuli terrâ, marique; *foris pugnas, intus timores,* vincula, carceres, flagella, lapidationes, multas denique tribulationes, & persecutiones perpessus sum, & ex ijsdem omnibus satisfactionum thesaurum magnum pro filijs meis charissimis (quos in Christo Iesu ego genui) coaceruaui, quem *libentissimè vobis impendam*: imò equidem summum desideriorum meorum illud est, vt totus *superimpendar ipse pro animabus vestris.* Quid euidentius dici potuit pro parte donatiuâ satisfactionum indigentibus Corinthijs? & proindè probat efficacissimè locus iste Indulgentias nostras, quatenus sunt *solutiones.* Necnon & ex hinc

2. Cor. 12. ℣. 14.

euincitur non solùm Thesaurus satisfactionum in Ecclesiâ, sed & in D. Paulo potestas authoritatiuè indigentibus eundem distribuendi.

X. Poterit & illud addi, quod Moyses cum fuerit Ecclesiæ caput, obtulit Deo pro peccatis populi bona opera Sanctorum mortuorum, dum ait: *Recordare Domine Abraham, Isaac, & Israel seruorum tuorum*. Quare enim recordaretur Deus Sanctorum illorum, nisi vt ex supereffluentiâ satisfactionum ipsorum sumeret, vndè recompenset defectum populi delinquentis, & exindè habeat quo satisfiat iustitiæ suæ, & eorum suppleat defectũ? Et proindè vel ex hinc probatur hæc in Prælatis Ecclesiæ Thesauri dispensandi potestas.

Exod. 32. 13.

§. 3.

§. 5.

Idem ex Patribus, & Ecclesiæ praxi antiquâ probatur.

I. NEc minor, aut dissimilis fuit antiquæ Dei Ecclesiæ praxis, etiam immediatè post Apost... ipsos. Nam in primo subsequenti centenario Tertullianus irrefragabilis nobis est testis, qui ad Martyres scribens ait: *Quam pacem quidam in Ecclesiâ non habentes, á Martyribus in carcere exorare consueuerunt.* En *consueuerunt*, inquit (quasi longo antè se tempore practicatum, & in consuetudinem reductum) *pacem exorare*, quasi bellum continuum carni & sanguini proprio indicerent pœnitentes, vtpotè *sacco & cineri* (vt alibi habet) *incubantes, corpus sordibus obscurantes, animum mœroribus deijcientes, illa quæ peccârunt tristi tractatione mutantes, ieiunijs preces alêtes, ingemiscentes, lachrymantes, & mugientes*

Tertull. l. ad Martt. c. 1. sub finem.

Idem de pœnit. ca 9.

dies noctesque ad Dominum Deum suum, &c. & necessariâ Sacramentorum abstinentiâ ab Ecclesię communione separati; itâ vt cum ab istiusmodi afflictatione absoluerentur, cum osculô pacis in fidelium communionem denuô recipiebantur: ideò pax hæc dicebatur, quiâ ad pacem, & in vnionem fratrum admittebantur, & non-[illegible] tota ex integro persolutâ pęnitentiâ delictis suis debitâ, reliquum condonabatur ad Martyrum intercessionem. Nec tacet hanc *pacem*, & pęnitentiarum relaxationem ad Martyrum instantias, etiam tunc quum in Nouatianorum hæresim incidisset, Libello enim suo de pudicitiâ caput integrum habet hâc de re. Licet autem inibi redarguat Martyrum hâc de causâ praxin, apertè tamen insinuat eum tunc temporis fuisse, & ipsorum Martyrum, & Ecclesiæ totius vsum, & consuetudinem. Notissimum autem est, ipsos pænitentes *pacem exorantes* nondum totam ex integro impleuisse pæni-

Idem de pudicitia c.22.

etten-

centiam, cum *pacem exorent*, & pœnitentiæ reliquæ relaxationem per Martyrum apud Episcopos intercessionē. Si enim plenam perfecissent pœnitentiam, vt quid ad Martyres recursus pro intercessione? Poterant audacter ipsimet Episcopos adire personaliter, & pœnitentiæ plenitudinem adimpletam intimare: nec recusassent Episcopi talibus *pacem*, cum nihil vlteriùs haberent satisfaciendum. Vndè patet per *pacem* aliquid pœnitentiæ debitæ, & nondum ex toto persolutæ relaxatum, & condonatum. At verò, vt iustitiæ diuinæ satisfiat in solidum, tota persolui debuit pœnitentia, vel saltem aliundè suppleri, vt suprà probatum est. Ergò cum remittitur reliquum pœnitentiæ his *pacem exorantibus*, aut cum eisdem *pax datur*, quod idem est; illi reliquo, portio proportionata satisfactionum è thesauro Ecclesiæ diuinæ offertur iustitiæ in integram recompensationem, & totalem satisfactionem. At verò planiùs, & pleniùs hoc ex subse-

ſubſequentibus D. Cypriani authoritatibus manifeſtum fiet, quibus hęc Tertulliani authoritas multùm confirmabitur, cum ipſe D. Cyprianus Tertulliani cultor maximus fuerat, ac proindè ipſius mentē poterat nouiſſe, vtpotè etiam vicinâ illi vixerit ætate.

II. Ille enim non multo poſt Tertullianum, ſcriptum reliquit, nō tantùm ſuo, ſed & Collegarum ſuorum, etiā in Concilio cōgregatorū nomine: *Statueramus quidem iam pridem, frater chariſſime, participato inuicem nobiſcum conſilio, vt qui perſecutionis infeſtatione ſupplantati ab aduerſario, & lapſi fuiſſent, & ſacrificijs ſe illicitis maculaſſent, agerent diu pænitentiam plenam, & ſi periculum infirmitatis vrgeret, pacem ſub ictu mortis acciperent*, &c. Et poſt pauca: *Sed cum videamus diem rurſus alterius infeſtationis appropinquare cæpiſſe*, &c. Et infrâ: *Neceſſitate compulſi cenſuimus, eis qui de Eccleſiâ Domini non receſſerint, & pænitentiam agere, & lamentari, ac Dominum deprecari à primo lapſus ſui die non deſtiterunt, pacem dandam eſſe,* &

D. Cyp. epiſt. 54. ſecundū editionē Pamel. ſecundū vulgatā verò l. 1. epiſt. 2.

& eos ad prælium quod imminet armari, & instrui oportere, &c. Et ne dicamus nihil hîc de satisfactione diuinæ iustitiæ: dicit de pace morientibus dandâ: *Nec fas erat, vt de sæculo recedentes sine communione, & pace ad Dominum dimitterentur, quandò permiserit ipse qui legem dedit, vt ligata in terris etiam in cælis ligata essent: solui autem possent illîc, quæ hîc priùs in Ecclesiâ soluerentur.* Ergô agitur hîc de solutione debitæ pænitentiæ, etiam in curiâ cælesti. Cùm enim de *pace dandâ* agit, de solutione ligatorũ agit; vt certũ sit *pacẽ* apud eũ significare idẽ quod apud Christum, *quæcunque solueritis super terrã, erunt soluta & in cælo.* Opponit enim vbique *pacem* continuationi pænitentiæ, itâ vt *pacem dare*, idem sit apud illum, quod reliquum pænitentiæ nondum persolutæ remittere, & condonare, vel cum D. Paulo *donare.* Et hoc itâ, vt non solùm in facie fiat Ecclesiæ, sed etiam in conspectu Dei, itâ vt indè diuinæ satisfactum sit iustitiæ: & in eum effectum illam Domini in me-
 dium

medium profert concessionem, quâ *solui possent in cælis, quæ hic prius in Ecclesiâ soluerētur.* Quid plenius? quid planius? Similia habet scribens ad Clerum, seu: *Presbiteris, & Diaconibus fratribus* (is est titulus,) *qui libellum á Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adiuuari apud Dominum in delictis suis possunt, si premi infirmitate aliquá aut periculo cœperint, exomologesi factá, & manu in eis à vobis in pœnitentiam impositâ, cum pace à Martyribus sibi promissâ ad Dominum remittantur,* &c. Deus bone! quid modò poterunt contrà Indulgentias nostras clamitare Nouatores? En totum quod agimus â D. Cypriano antè mille trecentos practicatum annos. Confessione vult purgari peccatorum culpas: Hoc volumus & nos: nec aliter absolui mortalia posse inculcamus; *In delictis suis adiuuari posse aliquos auxilio Martyrum.* Quid aliud dicimus nos, cum ê Thesauro Ecclesiæ, ex Martyrum passionibus, & satisfactionibus coacto, deficientibus subuenitur ad peccatorum

Idem ep. 4. seu aliâs li 3. ep. 18.

catorum satisfactionem? Imò verò non solùm in Ecclesiâ, *pacem* hâc vim habituram, sed & per eandem *apud Dominum adiuuari in delictis suis* asseuerat: & nos hoc idem declaramus, cum hoc modo Diuinæ iustitiæ ex tali largitione satisfiat; correspondet enim Dei iudicium hâc in parte Principum Ecclesiæ determinationi. Eos denique *remitti ad Dominum, promissâ pace* vult quasi puros, quià *exomologesi* â culpâ, & *pace* â peccatorum satisfactione liberantur: Nunquid non hoc est quod totis viribus probare hucusque conati sumus? D. ergò Cyprianus pro nobis est. Vultis adhuc. Idem scribens ad Martyres ipsos: *Sed & illud* (ait) *ad diligentiam vestram redigere, & emendare debetis, vt nominatim designetis eos, quibus pacem dari desideratis; audio enim quibusdam sic libellum fieri, vt dicatur, communicet ille cum suis, &c.* Et post pauca: *Et ideò peto, vt quos ipsi videtis, quos nostis, quorum penitentiam satisfactioni proximã cõspicitis, designetis nomi-*

Idem epist. 11. vel lib. 3. epist. 15.

nominatim, & sic ad nos fidei, ac disciplinæ congruentes literas dirigatis, &c. En *satisfactioni proximam pænitentiam*, deficientem tamen : en destinandum, & *dirigendum* eiusmodi pænitentem ad D. Cyprianum, aliosque Ecclesiæ Prælatos cum libello, vt ab ijsdem *pacem* recipiat, & defectus sui supplectionem: hoc enim expressè illa verba, *eos quibus pacem dari desideratis*, & *ad nos dirigatis*, dicunt. Totum hoc pro nobis formaliter: Nec sola hæc praxis D. Cypriani tēporibus: ideòque dicit paulò antè: *Considerantes quæ, & qualia in præteritum antecessores vestri Martyres concesserint*. Quibus omnibus, & præsertim vltimis hisce verbis multū confirmantur illa, quæ paulò antè ex Tertulliano superius allegauimus. Copiosus quidē est D. Cyprianus circā pacem istam, & in multis locis suam hāc de re reduplicat sententiam. Ex istis autem omnibus euidentissimè patet, ad Ecclesiæ Prælatos pertinere, *pacem* illam *dare*. Ex primo enim loco: *Statueramus*, inquiūt Prælati. Ex secundo,

Ep. 59. vel lib. 3. ep. 8. & ep. 55 vel li. 1. Ep. 3.

ſecundo, *libellum dedére Martyres, & pacem promittebant*: Epiſcopi verò vel Presbiteri acceptabant: vel, vt alibi habet idē Cyprianus: *examinabant, & ad Dominum remittebant*: & ex vltimo patet, quod ad Epiſcopos cùm libellis ſuis *dirigebantur* à Martyribus pœnitentes.

Idem epiſt. 23. vel li. 5. ep. 4. & alibi ſæpè.

III. Centenario quarto Concilium Ancyranū de comedentibus Idololathyta itâ ſtatuit: *Penes autem Epiſcopos erit poteſtas modum conuerſationis eorum probantes, vel humaniùs ergà eos agere, vel amplius tempus adijcere: antè omnia verò præcedens eorum vita, & poſterior inquiratur, itâ vt eis impertiatur humanitas*. Gentianus Heruetus hîc loco verbi *humaniùs*, & *humanitas*, vertit *clementia*. Itâ vt verum ſit, quod hâc in cauſâ poterant Epiſcopi reliquum pænitentiæ tempus eiſdem condonare, clementerque itâ indulgere, vt *in terris* plenè eſſent *ſoluti*: Quidni ergò eſſent *ſoluti & in cælis*? Cum eam Epiſcopis dederit Chriſtus poteſtatē, & Epiſcoporum cætus, & Concilium inte-

Concil. Ancyra. can. 5.

integrum ità statuerit faciendum? Quis abnegabit? hoc autem planè Indulgentiam sonat. Vide D. Basilium, qui in suis epistolis similia docet.

D. Basil. in epist. quæ extant in cet.

IV. Nec multùm dissimilia habet Concilium itèm Laodicenum, dum Bigamis post paruum aliquod pœnitentiæ tempus, *iuxta Indulgentiam communionem reddi decreuit.* En verbum ipsum *Indulgentia.* Et infrà: *Diuersis facinoribus peccantibus, æquali peractâ pœnitentiâ, propter clementiam, & bonitatem Dei, communionem concedit.* Vt quid precor *Indulgentia*, vt quid *clementia?* nisi quod secundùm iustitiæ Dei rigorem pœnitentiæ plus esset subeundum? quod si plus subeundum esset, certè reliquum *in terris remittebatur*, ergô *& in cælis*, Deo approbante, & confirmante in suo cælorum auditorio, quod ipsius delegati hic in foro soli statuerint *soluendum, remittendumue.* Ità tamen, vt iustitiæ diuinæ apprimè satisfactum sit; quod cùm ex proprijs pœnitentis (cui reli-

Monocanone Photij c. 73. Concil. Laodicenum c. 1. c. 2.

reliquum relaxatur) non fit ; certè per Prælatorum authoritatem remit; tendo suppletur defectus è communibus Ecclesiæ thesauris, & fit totalis recompensatio.

V. Necnon & Concilium generale, & vniuersaliter receptum & acceptatum Nicenum eodem modo de quibusdam relapsis statuit, quomodò scilicèt pæniteant, & demum addit: *Postmodùm verò licebit* Episcopo *de his aliquid humaniùs cogitare*: vel secundùm aliam versionem : *Liceat* E*piscopo humanius aliquid de ijs statuere.* Et Canone sequenti : *de his, qui ad exitum veniunt, etiamnunc lex antiqua regularisque seruabitur, itâ vt si quis egreditur de corpore, vltimo, & necessario viatico minimè priuetur.* Et *generaliter* hoc fieri vult *per* Episcopi *curam, aut approbationem.* Quid hic, precor, statuitur, nisi vt plenariâ Indulgentiâ morientibus pœnitentiæ reliquę(quæ persolui debebant) condonentur, vt *non discedant ligati*(prout ait D. Augustinus, rationem red-

Conc. Nic. ca. 11. vel secundũ alios ca. 12.

D. Aug. epist. 18.

dens

dens huius Canonis,) & habeant aliquid in foro Dei, vel Purgatorio soluendum. Viuis autem *humanitas* exhibenda, vt aliquid saltem pænitentiæ (necessariò aliâs subeundæ) relaxetur. Quod si in rigore iustitiæ diuinæ ad amussim, & ex integro tota persoluenda esset satisfactio, itâ vt nullâ ratione possent Prælati Ecclesiæ eam etiam in conspectu Dei remittere; certè crudelis nimis isthæc esset *solutio*, & malè ordinaret Concilium *humanitatem* cum delinquentibus vsurpandam. Hoc enim modo spem præberet Conciliũ peccatoribus, pænas suas remissas & relaxatas esse, etiã coram Deo, & consequenter occasionem illis daret nil vlteriùs in eâdem ratione operandi, aut de satisfactionibus agendis curandi. Ex quo sequeretur mirè delusos pænitentes, dum nil hîc agant in viuis, quo satisfaciant pro suis reliquis: & tamen habeant multum (vtporè illa reliqua) in aliâ vitâ soluendũm: *Scimus enim, quiâ post hanc vitam in locis purgabilibus*

Ber. in ser. de obitu

certu-

centupliciter, quæ fuerunt hic neglecta reddentur vsque ad nouissimum quadrantem. Seuerum certè hoc. Crudeliter ergô statueret Concilium ansam præbendo, vt *centupliciter* puniantur peccatores, dum credentes omnia sibi condonata pænitentiam vlteriùs prosequi negligant. Quod si absurdum sit affirmare Concilium, statuendo *humanitatem* peccatoribus præbēdam, *humanitatis* loco crudelitatem protrudere, necessariò affirmandum erit, aliquid hâc *humanitate* â Concilio relaxatum etiam in conspectu Dei; & proindè dicēdum Patres in Concilio nouisse satis suæ potestatis, & authoritatis limites, & intellexisse quid *humanitatis* nomine significetur: nec adeò crudeles fuisse, vt speciem pietatis præ se ferentes, loco *panis lapidem, aut piscis loco scorpionem suis filijs porrigant.* Certum ergô est, vel Concilij huius generalis sententiâ, Indulgentiam ab Episcopo dari posse, etiam de illis, quæ aliâs in secreto Dei iudicio soluenda essent. Cum autem hoc

Hūberti Monachi.

Luc. 11. ℣. 12.

hoc fieri nullo modo posset, nisi ad amussim Dei satisfactum sit iustitiæ, vti superiùs diximus; æquè certum est, illos è thesauro Ecclesiæ peccatoribus, quantum cuique necessum est, pro suo quoto elargiri. Et idem dicendum est de omnibus illis Tertulliani, D. Cypriani, & Conciliorum Ancyrani, & Laodiceni locis suprà citatis. Certum est enim omnes illas *humanitates, indulgentias, clementias, & paces* in animarum profectum, non ruinam practicatas fuisse; & è consequenti non ad illaqueandos pænitentes, filiosque Dei decipiendos, vt credant sibi remissas satisfactiones suas, etiam coram Deo, itâ vt æstiment se vlteriùs non obligatos ad satisfactionis operibus insudandum, & proindè omninò cessent ab eiusmodi satisfactionibus, cum tamen reuerâ coram Deo non sint exempti, & condonati, nec ipsorum obligationes remissæ, sed in diuino auditorio stent semper his non obstantibus obligati, itâ vt in futuro sæculo seuerissimè soluent, quod

§. 1 huius c.

hic intermiſerunt, & ſuperiorum ſuorum Epiſcoporum, & Conciliorũ authoritate ſuffulti neglexerunt. Quis hoc dicet? quis credet? Cum autem dicat Concilium; *Lex antiqua & regularis obſeruabitur*, patet euidentiſſimè nouum hoc non fuiſſe, etiam tunc temporis, ſed *antiquum*, & *legem* fuiſſe pro vniuerſâ Republicâ Eccleſiaſticâ, & *regularem*, vtpotè *Canonicam*, vt alia habet verſio, & conſequenter rationabilem valdè, nec errori ſubiectam. Ex quibus videtur mirum in modum hallucinari Nouatores noſtros, cum velint Indulgentias nouella hominum inuenta, & paulò antè Lutherum natas; ſed vtcunque hoc eſt, etiam dum hoc dicunt, cedunt certè eaſdem ſuâ ſectâ antiquiores. Nos autem tanto ſuffulti Concilio, audacter earundem antiquam antiquitatem pronunciabimus, & Nouatorum nouitatem nouam hæreſim omninò eſſe non verebimur declarare.

VI. Notum eſt ſatis, & apprimè

 vulga-

vulgatum, D. Gregorium Magnum, Angliæ nostræ Apostolum, cẽtenario sexto, & de Stationibus ità ordinasse, vt determinatis celebrarentur templis, cum priùs indeterminatim obseruarentur, & dierum annorumque Indulgentias, modo hisce sæculis vsitato, concessisse. Quod si neget quis, aduersùs Gulielmum Antisiodorensẽ, D. Thomam, & Chronichon Pandaliolutherani negasse sciat. Ex hoc autem D. Gregorij facto, liquet Stationes ipso antiquiores multò fuisse, ac proindè non esse nouas nouitates, vt Nouatores ingerunt.

Guliel. Antisiodor. li. 4. Summæ Theol. tract. 6. ca. 9. de relaxat. D. Tho. in 4. Sẽt. dist. 20. quæst. 1. art. 3. quæstiũcula. 2. Cronic. Pandalio-Lutherani.

VII. S. Leo anno 803: *Aquisgrani in Palatio dedicauit Ecclesiam perpetuæ Virginis Mariæ, donans eandem Ecclesiam multis Indulgentijs.* Ità S. Ludgerus. Ecce apertè loquitur, & parabolam nullam dicit. Similiter & Coloniæ apud S. Martinum necnon & in Capitolio Romæ, & in multis per Germa-

S. Ludger. in Epist. de S. Swithberto cap. 9. Vide Surium post vitam S. Swithberti per Marcellinum Tomo. 2.

Germaniam, Galliáque Monasterijs, Capellis, & altaribus; & in honorem S. Swithberti in Monasterio suo apud Werdam, vti apud S. Ludgerum videre est. Quid dicam de Sergio secundo, Pontifice maximo, qui circa annum 840. diuersas dictæ S. Martini Coloniensis Ecclesiæ indulgentias ita concessit, vt ad perpetuam rei memoriam in marmore concessionem suam incidi iusserit.

Vide Bellar. l. de Indulg.

VIII. Vultis omnes succedentium Pontificum, & Prælatorum indulgentiarum enumerem largitiones? Nunquam certè recensendi finem imponerem: neque enim hoc necessarium putarem, cum cordato cuiuis euidentia hæc Scripturæ Sacræ, & antiquitatis testimonia apprime, & luculentissimè probent, antiquitatem omnem, ipsosque Apostolos hâc in re insudasse. Imò & ab ipso Iesu Christo authoritatẽ Apostolis suis, & Ecclesiæ suæ in eũ effectũ concessã fuisse, & in Ecclesiâ vsque ad sæculi consummationem, permansuram. Quid enim hoc

euidentius argumento? Christus Dominus suis dedit Apostolis authoritatem *soluendi quæcunque in terris*; quę ita *soluta hîc, erut soluta & in cælo*, & hoc in ipsa nascentis Ecclesiæ institutione: in primo autem eiusdem centenario Pænitentiæ incestuosi illius Corinthij reliquum *donauit* D. Paulus. Episcopi *pacē dedere pænitentibus ad martyrum instantiam* in centenario secūdo, teste Tertullianus ait. D. Cyprianus irrefragabiliter nobis testatū reliquit, Africanos Episcopos pænitentias iniunctas remisisse centenario tertio. Cōcilia illa Ancyranū, Laodicenū, & Nicenum permiserunt Episcopis pęnitentias etiā lege præscriptas plenariè remittere cētenario quarto: quod idem affirmat D. Basilius. Pro quinto autem centenario illud idē asseuerat D. Augustinus. In sexto D. Gregorius magnus stationibus Indulgentias cōcessit. Octauo S. Leo 2. & Sergius 2. suis concessionibus varijs idem affirmant. Atque ideò poterit summus Pōtifex eorum authoritate suffultus, &

centenario 1.
centenario 2.
centenario 3.
centenario 4.
centenario 5.
centenario 6.
centenario 8.

& exẽplo animatus in nomine Christi idẽ practicare: nec malè, putarẽ ego, fecerit, tantas & tam venerabiles antiquitatis patronos secutus, si, Indulgentias concederet, imò plenarias indulgeret. Quid precor huic rationi in contrarium allegari poterit? Antiquitas veneranda pro nobis militat: gaudeant sua nouitate Nouatores.

IX. Addamus & illud quòd poterit Papa cōdonare pænalitates â lege præscriptas: Princeps enim est suprâ omnem legem, & ipse primus, & præcipuus legum obseruandarũ executor, & superintendens: ab inferiore item Sacerdote pænitentiam iniunctã relaxare poterit. Quod enim ab inferiore præscriptum est, â superiore (vt patet in appellationibus) poterit iudice, debitis eum ad hoc mouentibus rationibus mutari, imò tolli: Et ex hinc patet, posse summum Pōtificem longiores, seueriores que in se pænitẽtias ex iustis mutare causis in breuiores quasdã, & mitiores satisfactionũ operationes: præsertim cum hæ sint illis

præſcri Eccleſiæ Catholicæ ſtatui cõuenientiores, magisque neceſſarię, vtpote maioris Dei gloriæ hîc & nunc operatoriæ, & Eccleſiæ Dei, filiorũq; eius animarũ ſaluti, totiusque Reipublicæ Chriſtianæ proſperitati conducibiliores multò. Non enim vnquã relaxat ſupremus animarum noſtrarum paſtor bonorum operum, pęnitentiarumue debitarum obligationem, niſi aliorum operum bonorum præſcriptione actualiter exequendorum, priuſquam Indulgentię ſuæ beneficio potiantur priuilegiati. Nempè quandò capitalis ille, & iuratus Chriſtianiſmi hoſtis potentiſſimus Turcarum Imperator regnũ aliquod inuaſurus innumerabili exercitu, & armatâ manu, igne, ferro, & furore magno omnia deuaſtat: equidem Deo honorabilius multùm erit, Eccleſiæque Catholicę, & toti Reipublicæ Chriſtianæ beneficentius multò totis viribus perſonaliter malo occurrere graſſanti, vitamque pro patriâ proſtituere, aut ex ære noſtro conſcribere milites,

tes, aut etiam secundùm posse nostrum eleëmosynas in gazophilacium in eum conijcere effectû, aut denique orationibus publicis, priuatisùe; alijsque pijs operibus diuinam implorare misericordiã, eiusdemq; exposcere auxilium, vt generale istiusmodi vniuersaleque auertat malum, hostem prosternat, fugetùe; & demum pacem optatam seruis suis donet pius Pater: quàm priuatis incumbere pęnitentijs, quæ solis nobis (vt priuatis Ecclesiæ membris) proficiunt: & consequenter iure merito poterunt Pontifices istiusmodi ob causas, pænitentiarum obligationes mutare, imò & Indulgentias elargiri, vti fecit quandòque Vrbanus 2 cum Concilio illo Claremontano Anno 1088. Leoque decimus Anno 1517. contrâ quas primus Nouatorum nostrorum Pater, & Coryphæus Martinus Lutherus adeô malitiosè sinè causâ, sinè honore, sinè fundamento, sinè ratione (vt ex dictis patet) è suggesto plenis buccis exclamauit. Idem dicendum,

dum, & sentiendum est de alijs omnibus Indulgentiarum concedendarum causis, cum iustæ maximèque rationabiles sint omnes, nec donentur vllæ, nisi cum aliorum satisfactoriorum operum permutatione, & præscriptione; adeò vt hisce præscriptis operibus coniunctim cum satisfactionibus è thesauro, Dei iustitiæ in solidum fiat satis.

§. 4.

Idem ex duobus huius seculi miraculis probatur.

I. SÆpiusculè mirabilibus operibus mirabiliores fidei nostrę veritates confirmat Deus. Cum enim veritas ipsa sit Deus, & exindè etiam in abstrusis illis fidei propositionibus, nil nisi verissimam veritatem nos docere poterit: itâ etiam impossibile est, cum posse ad effectus adeò super-

naturales

naturales concurrere, ad cuiuscunque rei probationem, nisi certissimè verum sit illud ipsum, quod tam mirabilibus operationibus probatum velit: & sicut loquuntur nobis ex ore Altissimi Scripturæ ad fidei nostræ instructionem; itâ & miraculis suis ex potentiâ suâ immensâ productis planam & euidentem nobis facit Deus veritatem, quam in Scripturis loquutus est. Habent enim, & miracula suam vocem, & probandi efficaciam, cum â Deo fieri non poterint nisi in veritatis confirmationem. Ex hinc ergô est, quod in Indulgentiarum nostrarum probationem pleniorem, historicam duorum hoc æuo nostro miraculorum â Deo patratorum narrationem istis subiungamus.

II. In Monasterio Fauernensi, Comitatus Burgundici, diæcesis Bisuntinæ Anno Incarnationis Dominicæ 1608. Domino Alfonso Doresmeux Abbate, ipso Sacro Pentecostes die, Maij 25. Cum Sacrista (ad cratem ferream inter chorum & Altare

maius

maius ad festi solemnitatem) altare lineis de more coopertum, tapetibusque vndequâq; dependentibus è tabulato præparasset, desuper item conopeum expandisset, repositoriumque insuper, in quo augustissimũ Eucharistiæ Sacramentum duabus hostijs in pixide pellucidâ, vtpotè vitro hînc indè conclusâ (cui paulò inferiùs propè medium os sacrum reliquiarum S. Agathæ Virginis, & Martyris christallo insertum erat) super marmore consecrato populo videndum exponeretur, exornasset; candelasque, & lampades quasdã ex vitreis vasibus in honorem tanti Dei accendisset: addidit item Altaris eiusdem frontali Bullam ipsam Clemẽtis octaui, felicis recordationis Papę, Indulgentiarũ pergameno inscriptam, aciculis quibusdã eam affigens. Ipsâ nocte, omnibus absentibus, è lãpadibus vitreis (vt creditur) vna ignis vi confracta in altare decidit, lintéamina incẽdit, paulatimque crescens quasi omnia linea, tabulata, tapetes, cortinas, tabernaculum,

cor-

conopęum, omnia, inquam, deuorauit ignis: marmor etiam ipsum in medias fauillas decidés (ligno, quo continebatur, cõcremato) confractũ est. Magna deniqne facta est cõflagratio, & flãma ingens, nec aderant spectatores qui prohiberent, maloue occurrerent grassanti. Cum iam in fauillam res omnes reduxisset ignis, adsunt Religiosi, & mirabilia Dei conspiciunt; altare, & ornamenta cuncta consũpta vident: at ipsam solã pixidem cum Sacrosanctis Christi corporis hostijs, & reliquiarum osse (mira narro, vera tamen) in aëre pẽdenté, nulloque prorsus adminiculo sustentatã admirantur. & Deum inibi adorant. Stupenda res! sed omnipotentiæ diuinæ, cui ignis, aqua, aer, & terra, imò & cælum ipsum obediunt, opus nõ incongruũ: etiã & illa conopæi portio sola (reliquo flammarum vi absumpto) quæ perpendiculariter ipsam cooperiebat pixidem, intactá remansit. Conspexerunt hoc non illi soli, sed & oppidani omnes, imò & vicinorum

pago-

pagorum vndiquâque confluẽtes populi, qui rei nouitate permoti processionaliter hymnos in Dei honorem concinnãtes accurrêre. Voluit autem Deus vlteriùs gloriam suam manifestare & totam Lunæ diem noctemque subsequentem, imò vsque ad Martis decimam circiter horam (fortè triginta trium horarum spatium, vel circitèr) miraculosam hanc suam in aëre positionem prolongare, quo manifestiùs omni populo omnipotentiam suam propalaret Deus. Quid plura? Inter cæteros eô venerat Curatus de Menon, cum populo suo è vicinio. Dum autem circâ decimam Martis tremendum Missæ Sacrificium in altari maiori celebraret: vnus è cereis (de nouo cotam augustissimo, & miraculoso Sacramento præparatus, & accensus) subitò est extinctus vsque tertiò, quî aut quomodò nescitur, totiesque reaccensus, fortè vt attentionem populi ad futurum miraculum excitaret. Denique mirabilis Deus in operibus suis!

Ad

Ad primam in Missâ Curati dictæ hostiæ sacræ eleuatione clarè ab vniuerso populo (quo templum refertum erat) in aëre tintinnabulum miræ dulcedinis audiebatur; & pixis ipsa paulatim cæpit de loco suo descendere, sesequè suprà Missali (corporali lineo cooperto in tabellâ de nouo ad hoc præparatâ paulò inferiùs) deposuit mirabiliter non sine multis lachrymis, & magnâ cordis compunctione plebis vniuersæ. Qualis precor est hæc fidei nostræ de reali corporis Christi præsentiâ in Eucharistiâ confirmatio? Quid poterint hic cauillare Nouatores? fictitiumne dicent? testium oculatorum nube obruerentur; qui etiamnum adhuc viuunt, quorum quinquaginta omni exceptione maiores, & totum hoc, & aliud quod sequitur, in manibus Concilij Bisuntini depôsuêrunt; & extant tam actâ ipsa registrata, quàm sacrosanctæ illæ duæ hostiæ, Dolæ vna, altera Fauernæ in rei memoriam sempiternam.

III. Sed

III. Sed ad rem noſtram: ind gentiarum Bullam pergameno ſcr tam dixi frontali aciculis affixam. hanc inquirentes, ipſo frontali ig bus conſumpto, inter medias fauil omnis generis lignorum, tapetu linteaminum, &c. inuenerunt, ex no tantùm angulo (ſine præiudicio terarum inſcriptarum, aut lectur contractam aliqualiter, de reliquo i tactam omninò: Deo mirabiliter I dulgentiarũ pergamenũ inter medi ignes, alijs omnibus concrematis, c ſeruante, qui tres pueros in cami ignis ardentis præſeruauit illæſos. quare, precor, hoc? niſi quod volu rit Diuina ipſius Majeſtas, etiam tu cum in vicinio, vtpotè in Paſſaua oppido, conueniſſent hæretici bla phemias ſuas eructaturi, euidentiſſ mo confunderentur miraculo, & con uerterentur, vt ſalui fiant, aut ſalter inexcuſabilitèr illis innoteſceret ma lè contrà Indulgentias primum ſuun magiſtrum Lutherum inclamare oc cepiſſe, peiúſque ſe & contrâ eaſdem

Dan. 3. ℣. 50.

& contrà Sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum ora aperuisse profana, & denique vt eo pleniùs & firmiùs populum fidelem in vtroque veræ fidei articulo consolidaret.

IV. Alterum quod afferemus miraculum domesticum est, & in Angliâ nostrâ in regni ipsius Metropoli Londino ipso, & in illo vniuersis notissimo D. Pauli templo, vel potiùs in S. Fidei Parochiali Ecclesiâ sub ipso D. Pauli choro non sine magnâ Dei virtute operatum. Et tale, vt etiam ipsi aduersarij nostri illud & viderint, & tractauerint, & examinauerint, & tremuerint, reponentesque contraire non fuerint ausi. Illud autem erat eiusmodi.

V. Eodem Incarnationis Dominicæ Anno 1608. Mense Iunio D. Doctore Stanop moriente, ad eum inhumandum in S. Fidei parochiali templo (quod in cryptis sub D. Pauli choro habetur) sepulchrorum fossor terram aperuit; protinusque sensit odoris suauitatem admirandam, vnde attonitus

nitus subsistit, paulisper rem admiratus: at tandem eius tantæ suauitatis causam & originem inuenire desiderans, inceptum illicò persequitur opus, & non multò inferiùs Militis aurati cuiusdam (cui nomen Gerardus Braybrooke) â ducentis, & ampliùs retrô annis (vti videtur): inibi sepulti corpus plumbeo inuolutum sarcophago inuenit. Et mirum est, & verum est quod narro. Flores benè olentes, adeòq; virentes, ac si de nouo ex hortis vernantibus colligerentur, ipsi funeri vndequâque adiacentes conspiciuntur, colliguntur â multitudine ad rei nouitatem confluente, attrectantur, agnoscuntur, nominibusque proprijs singuli distinguuntur. Necnon & funes ipsi (quibus pro more funus in sepulchrum demittitur) ibidem integri, & quasi noui reperiebantur: linteamen item, in quo corpus inuoluebatur, incorruptum omninò, adeòque intactum, ac si ipso die de nouo inferretur terræ, inuentum est. Corpus autem ipsum (vti

asseue-

asseueratur) non inspiciebatur : at verò omni dubitatione postpositâ, illud, cuius causâ reliqua omnia (secundùm Philosophorum dictum; *Propter quod aliquid tale, illud ipsum magis tale*) itâ florida, & sua integritate conseruata sunt, non minoris fuit pulchritudinis, & incorruptionis: quæ omnia beatam animæ sanctitatem, & indubitatam in cælis beatitudinem declarant. Quid plura? Ad funeris pectus super linteamen affixa fuit, Bonifacij Papæ Bulla Indulgentiarum pergameno incorrupto inscripta, cuius integritas, literarumque nigredo mirabilia aspicientibus videbantur. Stupebant enim quod tantis annorum spatijs in fossâ sine læsione poterant conseruari. Bullæ tenor hic erat.

Axe

VI. *Bonifacius Episcopus, seruus seruorum Dei, dilecto filio Nobili viro Gerardo Braybrooke iuniori Militi, & dilectæ in Christo filiæ Nobili mulieri Elizabethæ eius vxori, Lincolniensis Diœcesis, salutem, & Apostolicam benedictionem.*

Prouenit ex vestræ deuotionis affectu, qu
nos, & Romanam Ecclesiam reueremini
vt petitiones vestras, illas præsertim, qu
animarum vestrarum salutem respiciant, a
exauditionis gratiam admittamus. Hin
est, quod nos vestris supplicationibus in
clinati, vt Confeßor, quem quilibet vestr
duxerit eligendum, omnium peccatoru
vestrorum, de quibus corde contriti, e
confeßi fueritis, semel tantùm in mort
articulo plenam remißionem vobis in sy
ceritate fidei, in vnitate Sanctæ Roman
Ecclesiæ, ac obedientiâ & deuotione n
strâ, vel succeßorum nostrorum Roman
rum Pontificum canonicè intrantium pe
sistentibus authoritate Apostolicâ conc
dere valeat, deuotioni vestræ tenore pr
sentium indulgemus. Si tamen quod id
Confessor de his, de quibus fuerit alteri
tisfactio impendēda, eam vobis, vos si
peruixeritis, vel per hæredes vestros
tunc forte transieritis, faciendam ini
gat, quā vos, vel hæredes vestri facere
neamini, vt præfertur. Et ne (quod abs
propter huiusmodi gratiam reddan
procliuiores ad illicita in posterum c
mittere

mittenda, volumus, quod si ex confidentia remißionis huiusmodi aliqua fortè committeretis, illa prædicta remißio vobis nullatenus suffragetur. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostram concessionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & BB. Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, nono Iunij, Pontificatus nostri Anno secundo.

VII. Incarnationis Dominicæ Annus non adiungebatur. Euidentissimum tamen est, quod (vltimus licet fuerit Bonifacius Sedis Romanæ, & Vniuersalis Ecclesię Catholicæ Episcopus, & Papa) non minùs quàm ducentis ab hînc annis concessam hanc fuisse Indulgentiam, cuius, tantarumque aliarum rerum tot in terris iacentium annorum curriculis incorruptio, suauitatéque miri odoris reddentium cōsideratio, miraculorū nobis in Indulgentiarū sanctarū confirmatio-

mationem multitudinem admini-
strant. Rem examinârunt Episcopi
Londinensis, & Cantuariensis, Bul-
læque Papæ prędictæ contraire non
audentes, *indignationem omnipotenti*
Dei, & Beatorum Petri & Pauli Aposto-
lorum eius, inibi interminatam iure meri-
tò veriti, reponi diploma suo loco
sepulchrumque recludi illicò præce-
perunt. [illegible]erunt hæc quàm plurimi
qui vsque modò viuentes oculatos
horum omnium testes fuisse non ve-
rebuntur affirmare. Adeòne ergò re-
fractarius quis esse poterit, vt re
neget? Dicat ille item (qui eiusm-
di est) Romã (quã non viderit ipse)
existere. Dicat Ludouicum (que
nunquam conspexit) Galliæ rege
non esse; & fidem auribus suis den-
get, qui oculis tantùm fidem sibi a-
struere conatur. *Fides ex auditu*, inq
D. Paulus. Habeat autem ille, qu
quis est horum negator, con
rerum ordinem ab oculatu fidem
sit primus suo genere fidelis Nos i
fragabili testium multitudini mo
gera[illegible]

[Marginal notes: ...o. 20. / 17.]

geramus, & vel ex hinc agnoscamus multum Indulgentiarum nostrarum honoris, multum confirmationis etiam ex euidentissimis Dei miraculis prouenisse, & proindè pro certo habeamus illas & pias, & bonas esse, & secũdùm cor Dei (cum miraculorum suorum testimonio approbentur) concessas aliquandò esse: & denique summum Ecclesiæ Dei Pontificem, aliosque Prælatos potestatem habere easdem distribuendi, & fideli populo, non sinè maximo animarum fructu concedere posse, & de facto quantociùs concessisse. Patet ergò ex huius Capituli dictis quæstionis in capitis titulò propositæ reponsio. Si enim quęratur: *Quis poterit Indulgentias elargiri?* Respondebitur illicò, quod *Ecclesia sancta Catholica, eiusdemq; Prælati.* Ad quartam ergò procedamus quæstionem.

CAPVT IV.

Quibus prodesse poterunt Indulgentiæ.

§. I.

De ijs, quibus Indulgentiæ prodesse non poterunt.

1. EX capite primo huius tractatus id certè determinari poterit, quod quicunque in communione Ecclesiæ Sacræ Catholicæ non vixerint, ab Indulgentiarum bono seclusi sint necessariò. Cum enim Indulgentia-

dulgentiarum basis, fundamentumque sit bonorum in Ecclesiâ satisfactoriorum communio, per quam Ecclesiæ Dei membra sibi inuicem in rebus spiritualibus, & satisfactionibus comparticipant, qui Ecclesiæ Dei membrum non est, communicare non potest, & ê consequenti Indulgentiarum fructus percipere nullâ poterit ratione.

II. Infideles ergô omnes, Turcæ, Iudæi, & quicunque Baptismi Sacramentum nunquam suscepère, adeòque Ecclesiæ membra adhuc fuere nunquam, cum hoc Baptismi Sacramentum sit ouilis porta, sinè quo ex sententiâ Iesu Christi saluari quis non potest. Ait enim: *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aquâ, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Siuè hîc *regnum Dei* accipiatur pro cælo, siuè pro Ecclesiæ præsentis ouili, idem est, quiâ *extrà Ecclesiam non est salus.* Imò & Apostatæ â fide omnes, qui etiam suscepto Baptismate ad suæ infidelitatis vomi-

Io.3 v.

tum rediêre: hi, inquam, omne
cum vel in communionem Eccleſi
nondum recepti ſint, vel recepti ſe
mel, eandem deſeruêre, ab Indul
gentiarum beneficio excluſi ſunt ip
ſo facto. Patet, nec opus eſt proba
tione.

III. Necnon & Excommunica
ti omnes Indulgentiarum bono pr
uantur, quiâ, vti ipſius nominis et
mologia ſonat, *extrá communione*
ſunt poſiti, & hoc in peccatoru
ſuorum pœnam condignam. Imò
iſtiuſmodi nomine ab omni commu
nione Eccleſiaſticâ, & Indulgenti
rum beneficio arcentur dæmones,
damnatorum animæ omnes: ſu
enim ab omni bono excommunica
æternaliter, & in inferni ignib
ſepulti in æternum, *vnde nulla eſt*
demptio per preces, ſuffragiaue fid
lium, Eccleſiæ Indulgentias, aut
liud quocuis remedium.

IV. Idem dicendum de hæretic
ijs ſcilicet, qui cum pertinaciâ con
maciter tenent, vel propugnant qu

uis (vnam, vel plures) contrâ fidem Catholicam propositiones hæreticas: *sine fide enim impossibile est placere Deo.* Qui autem infidelis est in vno, est infidelis in omnibus. Nec mirum: *quicunque enim totam legem seruauerit, offendit autem in vno, factus est omnium reus.* Qui autem Deo displicent, Ecclesiæ suæ Sanctæ membra viuida non sunt, & vt communione, itâ & Indulgentijs frui non possunt.

Heb ℣. 6. Aug. 7. ce liter. Peti 2. c. 1 Iac. ℣. 1

V. Nec melius de Schismaticis iudicandum, qui dum se voluntariè ab vnione abscindunt Ecclesiasticâ, se separant item ab eiusdem communione, & conciliabulum, vel putidum corpus nouum, & nouatum instituere conantur. In vniuersum omnes, qui non sunt membra Ecclesiæ, non communicant cum illâ: iustum ergò est, vt non habeant partem de Thesauro eius, imò nec aliundè simili potiantur bono: *quiâ nusquam nisi in Ecclesiâ Catholicâ salutem poterit quis inuenire.*

Aug 7. le. per tis c. S. F

VI. Et

rito circa medium.

VI. Et nè arbitremini omnia Ecclesiæ Catholicæ membra hoc tam pio gaudere beneficio, excludimus etiam ab hinc omnes illos, qui in peccato viuunt, & persistunt mortali. Licet enim Ecclesiæ membra sint, viuida tamen non sunt: & quamuis per Baptismi susceptionem, fidei confessionem, exterioresque Dei cultus, & nec hæretici, nec schismatici, nec denique excommunicati, se vera Ecclesiæ Dei membra esse profiteantur, sunt tamen inimici Dei, & putida & mortua, vel saltem mortificata membra, itâ vt veram Spiritus Sancti influentiam (quâ Ecclesiam suam sanctificat, & regit Deus) non recipiant omninò, nec cum alijs eiusdem membris in vllâ boni spiritualis communione participent; ac proindè ab omni Indulgentiarum beneficio sunt alieni.

VII. Quid modò dicemus de illis, qui viua & viuida Ecclesiæ Dei sunt mēbra, gratiâ Dei, & Spiritus sancti affluenti assistentiâ viuificata? Num saltem

ſaltem hi omnes Indulgentiarum potiuntur beneficentiâ? Nequaquam. Glorioſæ enim in cæleſti regno animæ eiſdem non indigent, & proindè frui non poterunt, cum iam peracta ſit, & coronata ipſarum peregrinatio. *Abſterſit enim Deus omnem lachrymam ab oculis earum, & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà, quiá prima abierunt.* Quicquid enim pro ipſis ſatisfaciendum erat, iam peractum eſt, iam abijt omne pænale: *non enim intrabit in regnum cælorum aliquod coinquinatum*, aut purgatione, aut ſatisfactione indigens: quiâ non eſt ille pænitentiæ & laboris, ſed gaudij & requiëi locus. Denique nihil habent, quo è theſauro Eccleſiæ ſatisfactionum portiones accipere contendant: De Indulgentijs ergô pro ſeipſis illis cura nulla eſt.

Apc 21. v. 4

Ibid 27.

VIII. Sed nec omnes militantis Eccleſiæ filij, filiæuè Indulgentijs indigent. Vna enim B. ſemper Virgo Dei genitrix in nullo vitæ ſuæ momento

mento peccans, vt suprà dictum est, pro nullo item suo peccato satisfactioni obnoxia vnquam fuit, & proindè Indulgentiarum satisfactionibus indiguit nunquam. Simili item modo D. Ioannes Baptista, Apostoli, omnes Martyres, plurimi Confessores, Monachi permulti, Virginum & Viduarum chori, &c: omnes denique in terris Sancti, qui in aliquo saltem vitæ suæ momento, vt plurimùm sub finem, nihil habuêre pro suo peccatorum quoto soluendum: at verò portiones potiùs quasdam actionum in satisfactionis ratione supererogatarum ex abundantiâ suâ Ecclesiæ intulerunt gazophilacio, vti superiùs dictum est, in illo saltem vitæ suæ tempore, Indulgẽtiarum suppletione non indiguêre. Et huius generis in Ecclesiâ (procul dubio) fuere semper, modò sunt, & vsque ad consummationem sæculi erũt quàm plurimi. Sãcta enim Ecclesia filios sanctos sponso suo semper è çæno in cælum progenuit, & progenerabit.

IX. His

IX. His subiungemus nouiter baptizatos, qui è regenerationis fonte modò surgentes gratuito Dei dono non solùm peccatorum Originalis, & actualiũ culpas, sed & pœnarum eisdẽ debitarum remissionem plenissimam â Domino Deo acceperunt, & nondũ per nouas operationes personales diuinã offenderunt Maiestatem. Illi etenim vi Sacramenti, & meritorũ passionumque Iesu Christi applicatione totaliter ab omni satisfactione liberati ab, omni itẽ Indulgentiarum gratiâ sunt alieni: harum enim natura, quatenus *solutiones* sunt, ad satisfaciendum valet, illi autem satisfaciendum nihil habent.

§. 2.

Quibusnam prodesse poterunt Indulgentiæ.

I. SEclusis ergô Idololatris, Iudæis, Turcis, omnibusque non baptizatis,

zatis, & regeneratorum apostatis â fide, hæreticis, schismaticis, excommunicatis, damnatisque omnibus, cum eis omnibus qui peccati rei sunt mortalis : & item totâ Curiâ cęlesti, Sanctis in terrâ degentibus, nouiter baptizatis, & innocentibus ; exiguus certè erit eorum numerus, quibus proderunt Indulgentiæ. Illi nempè soli, qui Baptismatis tincti lauacro in peccatum veniale, aut etiam mortale vnum vel plura relapsi sunt: itâ tamē, vt eadem iterum peccata itâ post baptismum commissa per pænitentiæ Sacramentum (quod *secunda post naufragium tabula* â D. Hieronimo nominatur) tam quoad culpá. quàm quoad pænæ eisdem debitæ æternitatem condonentur, ipsique iterùm Dei gratiâ imbuantur, in eiusque fauorem admittantur. In eiusmodi enim Dei filijs solis aliquod temporale pro peccatis etiam itâ remissis debitum supplicium restat soluendum, vt suprâ probatum est : & his solis proficiunt Indulgentiæ. Huius autem generis homi-

Hier. ep. 3. æ.

§. 3.

hominum duo sunt ordines, viuentium aliqui, & Militantis Ecclesiæ filij, reliqui mortui, & Patientis seu purgantis Ecclesiæ subiecti. Qui duo, cum multùm in statu differant, diuersimodè etiam Indulgentiarum beneficio potiuntur, & diuersimodè item ab Ecclesię pastoribus eisdem conceduntur, vt statim dicemus.

§. 3.

De statu eorum qui militantis sunt Ecclesiæ membra, & Indulgentijs meliorari poterunt.

I. AD huius rei intelligentiam sciendum est, summum Pontificem, reliquosque Ecclesię Prælatos veram & realem in oues Ecclesiæ, suæ curæ commissas, habere iurisdictionem à Christo Iesu sibi collatam per illa verba: *Pasce agnos meos, pasce* Ioa. 21. ✝. 7.

oues

oues meas; & aliundè per authoritatem *ligandi* & *absoluendi*, & *retinendi* & *remittendi quæcunque*, prout plené superiùs ostendimus; vtpotè in huius mundi homines, qui baptismate renati, realiter hîc fidem coram hominibus profitendo, peccata coram Sacerdote confitendo, absolutionem delictorum humiliter acceptando, pænitentias iniunctas perferendo, & perficiendo, Sacramenta piè frequentando, & similibus externis virtutum actionibus se Militantis huius Dei Ecclesiæ membra, eiusdemque pastoribus subditos declarant. In hos, inquam, Ecclesiæ pastores veram habent potestatis authoritatem præceptiuam, & coërcitiuam: imò compulsiuam, itâ vt verè obligent subditos tam in foro externo quàm interno, & eosdem cogere *omnibus iuris*, *& facti remedijs* (membrorum mutilatione, morteque corporali exceptis) & compellere ad obedientiam veram, & realem suis præceptis, ordinationibus, constitutionibus, canonibus, legibus,

i. §§. 3. 4. cap. 3. r to- n.

gibus, præſcriptionibus, cenſuris, & ſimilibus præſtandam: & in delinquentes, & immorigeros animaduertere eâdem poſſunt iuriſdictione. Ac proindè *ligandi, & ſoluendi quæcunque* circà gregem ſibi commiſſum, ſubditorumque ſuorum debita ſatisfactorialia è theſauro Eccleſiæ recompenſandi, & *in perſonâ Chriſti quæcunque, & quorumcunque peccata in terris, & in cælis remittendi* poteſtatis habent plenitudinem. Adeò illimitatam eiſdem conceſſit Ieſus Chriſtus, præſertim in Eccleſiæ filios, iuriſdictionis poteſtatem, vti ſuperiùs declaratum eſt. c. 2. &

Iterùm Ijdem hi Eccleſiæ Sanctæ filij eo, dum viuunt, gaudent priuilegio, vt poſſint actiones producere, quarum ſingulæ & habeant virtutis rationem, vt exindè ſint meritoriæ, & præmij vitæ æternæ operatoriæ; atque item ſint ſatisfactoriæ (quatenus pænales, laborioſæ, & arduæ) & peccatorum ſuorum recompenſatoriæ, etiam in diuinæ conſpectu Maieſtatis. Vide ſuprà c. 1. §. 2.

III. Prælati autem ipsi, quantum ad istbæc, non sunt melioris conditionis quàm reliqui inferioris notæ subditi. Habent enim & ipsi easdem Christianitatis obligationes, quas & cęteri, subeundas. Baptizari enim, fidem profiteri, peccata confiteri, pænitentias subire; virtutum actiones exercere, Sacramenta suscipere, &c. ex æquo tenentur iure cum reliquis Christianis. Nec priuilegio, aut exemptione vllâ quoad hæc gaudent, aut gaudere poterunt. Æquè ergô & illi cùm suis subditis Christianis quibuscumque poterunt ad pænitentias perferendas astringi in dies, menses, & annos, vt suprâ dictum est. Vndè vel etiam ipsissimi Prælati suos habent Confessarios, per quos non tantùm â peccatorum suorum culpis, & æternitate pænali eisdem debitâ soluuntur; verùm etiam pænitentiarũ temporalium subeundarum obligationes ab ijsdem suis Confessarijs impositas, aut â Canonibus ordinatas; vel aliundè quomodolibet contrahunt, & ad easdem explen-

explendas tam in foro poli, quàm in foro soli astringuntur, nō minùs quàm cæteri fideles: ac proindè æquè cum cuiuscunque ordinis, etiam infimi, Christiano quolibet, Indulgentiarum indigent beneficio, eodemque, cæteris paribus, æquâ lance frui poterunt. Sunt enim Indulgentiæ omnibus, & singulis Christi fidelibus Prælatis, & subditis generales, & equaliter omnibus ex se proficuæ. Superior denique, & inferior, quantum ad hoc, sunt pares, pariliique modo ad Indulgentiarum potiundarum conditiones explendas (si eisdem frui velint) adstricti, & obligati.

VI. Hoc autem adeò patet, vt probatione non indigeat omninò. Christus enim Dominus, quandò dixit: *Quorum remiseritis peccata*, nemine excepit, nec Diuum ipsum Petrum, aut alium Apostolum quemcunque, modò peccet. *Si autem dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*. *Septies enim cadet iustus, & resurget*

Io. 20. ℣. 13.

1. Io. 1. ℣. 8.

Prou 24 ℣. 16.

Poterant ergò & ipsi Apostoli peccasse, licet in minutioribus tantùm, vndè poterat etiam eorum quilibet hâc commissione quemlibet alium, etiam è Collegarum suorum numero (ipsemet fuerit D. Petrus, Apostolorum Princeps) â peccatis suis omnibus absoluere. Nec minoris efficatiæ sunt illa: *Quæcunque alligaue-*

Mat. 18. ℣. 18.

[illegible] enim inibi exemit, Apostolum, Prælatum, subditum, sicut nec rerum quicquàm excepit. Erant enim & ipsi Apostoli æquè subjecti decisioni Hierosolimitani Concilij, atque alij fideles quicunque: & ex hâc eâdem illimitatâ Ecclesiæ potestate, tot in Concilijs Canones de ipsismet Episcopis, & Ecclesiæ Prælatis statuentes processerunt; quibus etiam nunc obedire se sentiunt obligatos. Et hinc est, quòd (quum ipsimet Ecclesiæ Pastores tentationibus & peccatis obnoxij sint) aliorum collegarum suorum, & Pastorũ opus habeant authoritate, vt ab ijsdem, & pænalitatibus eisdem debitis absol[illegible]
[illegible]antù

uantur, tam in foro pænitentiali, & iuridico interno, quàm per Indulgentias, & in foro iuridico externo Ecclesiæ. Ac proindè Ecclesiæ sententiæ hâc in parte humiliter se subijcere tenentur. Nec in hoc publicæ æstimandæ sunt personæ: cum enim vt priuatæ peccent, & ipsa peccata personæ, non dignitati quam gerunt, imputentur, vt tales conscientiæ habent reatum, satisfactionisque pænas luere cogentur. Absurdum namque esset, affirmare Ecclesiam (*contra quam portæ inferi non præualebunt*) peccasse, quiâ hic Prælatus peccauit. Personalia ergò sunt peccata, & vt talia personaliter in delinquentibus castigentur.

Mat. 16. v. 18.

V. Summus igitur Pontifex totius Ecclesiæ Catholicæ, Papa noster, & Caput, in hâc Indulgentiarum materiâ (quod ad eas obtinendas attinet) æquali laborat necessitate, nec maiori gaudet priuilegio reliquis Christi fidelibus: eo non obstante, quod multò maiori ad earundem

eandem distributionem pollet authoritate, vt ex dictis patet: & hoc ideò, quod Indulgentiarum distributio ex iurisdictione pendeat, quæ non omnibus indiscriminatim conuenit Christianis, sed *præordinatis à Deo in ministerium* Prælatis: obtinere autem, & frui distributis, ex conditionum requisitarum adimpletione (vti postea,) & ex merito in eisdem benè adimplendis resultante, quo digni coram Deo habentur operantes tali præmio, procedit ad effectũ: horum autem causam, & fundamentum in se habet quisque Christianus: & in istis omnibus cuncti in vniuersum Christiani, magni, parui, viri, fœminæ, infantes, superiores, & inferiores pari passu progrediuntur; nec vnus alium antecedit, nec Papa pauperi, nec Prælatus populo præfertur.

§. 4.

Vt Indulgentiæ obtineantur, quædam sunt adimplendæ conditiones.

I. NVllo modo conceduntur Indulgentiæ, quarum obtinendarum non sunt aliquæ subeundæ conditiones, vt verum sit, quia *Omnis commoditas sua fert incommoda secum.* Qui ergò Indulgentijs frui prætendit, easdem subeat necessum est conditiones. Cum enim sit quasi contractus inter dispensatorem, & indigentem, secundùm illud, *fac hoc & habebis illud*: priuilegio gaudere non potest, qui recusat opus exequi, propter quod conceditur priuilegium. Et licet Indulgentiarum distributores pœnalia quædam peccatis debita, ad quæ præstanda tenebantur pœnitentes; vtpotè orationes, ieiunia, vigilias,

cilicium, diſciplinarum verbera, peregrinationes, eleëmoſynas, & ſimilia auferre videantur, quiâ relaxare; ſi tamen penitiùs res inſpiciatur, eſt tantùm bonarum quædam operationum commutatio: aſſignant enim priorum loco alia quædam opera pia, bona, & ſatisfactoria ab eiſdem ipſis perficienda pænitentibus, nè pigritantes & otioſos faciant pænitentes in viâ ſatisfactionis, vt ſuprâ diximus.

II. Quod ſi verum ſit aliquandò pænalitates, quibus ratione peccatorum ſuorũ adſtringuntur pænitentes, quæque per Indulgentiarum priuilegiũ relaxantur, illis alijs per diſpenſatores ad effectũ Indulgentiarum conditionaliter taxatis, & præſcriptis, & numero, & duratione multò maiores videri: numero (inquam,) cum fortè multoties ſecundũ delictorum toties multiplicatorum numerũ reduplicetur; & duratione, quiâ vt plurimum ſecundùm canones plures habent delinquentes pænitentiarũ, quàm vitæ in hoc ſæculo, annos ſubeundos: verũ

item

item est, taxatas has ab Indulgentiarum distributoribus piorum operum conditiones, illis peccatorum debitis pænis, è duobus item capitibus multò esse meliores: sunt enim hæ, Primò Deo, Sanctisque eius honorificentiores, & Reipublicę Christianæ communi bono accommodatiores; illæ enim priuatæ, sunt semper â priuatâ personâ pro priuatis peccatis in particulari factæ; hæ autem ob fines publicos, vtpotè ad Dei, Sanctorumque suorum honorem publicum, & in profectum generalem, & emolumentum Ecclesiæ sanctæ Catholicæ, aut ad infidelium, & peccatorum cõuersionem impetrãdam, aut etiam ad Dei protectionem, assistentiamque Ecclesiæ Prælatis obtinendam, vel denique in zelum animarum in generali, & particulari; vt scilicet ad frequentiorem Sacramẽtorũ susceptionẽ (quo pleniori imbuantur Dei gratiâ, & animosiores ad perfectionẽ tẽdant) incitentur, &c. indictæ, & ordinatæ. Et 2. habẽt illę suum ê charitatis gradu, quo producuntur, valorem: hæ

autem non solùm eo nomine, verùm etiam & ex coniunctione aliarum satisfactionum Iesu Christi, & Sanctorum eius è Thesauro Ecclesiæ depromptarũ, efficaciã & præeminentiam: & è consequenti hę sub istis considerationibus, vt minimùm, æqualizant, si non supergrediuntur illas, quibus delinquẽtes in peccatorũ suorum satisfactionem astricti tenebantur, atque ità harum qualitas, & perfectio priorum quantitati sunt opponendæ.

III. Atque adeò necessarium erit Indulgentijs potiri volentibus, vti præscriptas ad vnam obseruent conditiones, numero & pondere, prout assignantur, eisdem se applicantes operibus bonis, quibus digni habeantur tali ab Ecclesiâ Dei donari beneficio: absque enim eiusmodi merito ista non acquiruntur bona. Ideò namque est, quod quicunque ille sit, qui frui desiderat Indulgentijs iam in Militanti hâc Ecclesiâ concessis, necessum est primò, vt sit verus, & obediens Ecclesiæ Catholicæ filius, hoc est, baptizatus,

tizatus, nec Apostata, hæreticus, schismaticus, aut Ecclesiæ cẽsuris innodatus: deindè vt in statu sit gratiæ, nec peccati conscius mortalis: posteâ, vt deficiens in proprijs satisfactionibus, tali indigeat supplemento: & denique, vt conditiones requisitas adimplendo, easdem consequi mereatur. Si autem in horum aliquo deficiat, Indulgentijs frui nullatenus potest. Tria namque priora ad personæ propriam, & proximam naturâ suâ requiruntur dispositionem: vltimum verò est de naturâ, & essentialiter pertinet ad validitatem illius contractus conditionalis, qui inter dispensatores, & recipientes in Indulgentiarum interuenit concessione. Declarasse hæc, probasse est, adeô ad oculum patent omnia.

§. 5.

§. 5.

De animarum in Purgatorio statu ad Indulgentiarum effectum.

I. NVnc de secundo hominũ genere, qui & indigent, & frui poterunt Indulgentijs, pauca subijciamus. Ij autem sunt, qui à corporibus separati, & abhinc digressi, in purgabilibus mirè torquentur ignibus, Ecclesiæ vniuersalis membra, à Militanti in Patientem dimissi ad Triumphanté aspirant, ac proindè in communione vniuersalis Ecclesiæ permanentes, tàm cælestis, quàm terrestris Ecclesiarum comparticipes, & communicantes facti sunt, vt suprà quàm sufficientissimè probatum est. E militante ergô hâc (in quâ solâ merendi media, & tempus constituit Deus) Ecclesiâ in Patientem translati sunt: qui non merendi

merendi locus, non mercedem recipiendi, sed satisfaciendi solùm à De ordinatus est; imò verò & eiusmod est satisfactionis, vt non actiuè operentur animæ, eiusùe naturæ produ cant actiones, quæ meritoriâ bonitatis gaudeant portione, sed solâ satisfactoriâ, vtpotè merè sint pænales tantùm, non autem simul & virtutes; sed merè passiuè se habentes, intolerabiles illas purgantes flammas, aliaque Dei secreto, & inscrutabili iudicio inflicta supplicia mirâ subeant patientiâ, impotentes factæ omninò, vt vel in minimo sibijpsis possint subuenire. Et hinc est, quod vt ijsdem succurratur, aliorum debet interuenire instantia, vtpotè vel in cælo Sanctorum, qui æterni Dei facti amici id promeruerunt, dum hic inter viuos egerent, vt exaudiantur folicitè deprecantes dilectissimũ suum Dominum Deum, Patrẽ, Redẽptorem, fratrem, cohæredem amantissimum, & amatissimum animarum suarũ sponsum, vti velit pretiosissimi

illu

illud nostræ Redemptionis opus sufficere, & vel propter illud misereri animarum in illis flammis miserè excruciatarum, & ex tantâ satisfactionum suarum superabundanti copiâ, iustitiæ suæ portiunculam aliquam satisfactiuam acceptare, in eorum quæ purgantes animæ sustinent suppliciorum recompensationem: vel etiam aliâs fortè supplicant (in æternum benedictæ illæ animæ) vti placeat Diuinæ suæ bonitati, exiguas illas satisfactionis operationes, quas in hoc mundo viuentes diuinâ fulti gratiâ vltrâ suam quotam produxêre, pro debitis animarum in Purgatorio pœnis acceptare, vtque itâ ab omni punitione solutæ gaudijs secum perfruãtur æternis: aut certè eorũ, qui in terris hîc satisfaciendi & tempus, & media habent tã pro seipsis quã pro alijs secũ degentibus, vel in Purgatorij flammis sustinentibus; & Missarum sacrificia, eleëmosynas, ieiunia, & similia pœnalia pro eorum liberatione, & relaxatione offerre poterunt, prout

superiùs

superiùs plenè probatum est.

§. 6.

Quamnam Papa, alijve Militantis Ecclesiæ Prælati iurisdictionem habeant in animas Ecclesiæ Patientis in Purgatorio ad effectum Indulgentiarum.

I. CVm ergò purgantes animæ in aliâ positæ sint orbis (ab istâc Militantis Ecclesiæ separatâ) regione, tam quoad locum, quàm quoad ipsum regimen: sequitur easdem sub aliâ constitutas esse iurisdictione, alterique subditas Domino, qui ab huius Militantis Ecclesiæ Superiore immediato sit distinctus, & discretus. Generali etenim illæ Domino, vtpotè Deo ipsi, immediatè subsunt; cum tamen nos homini Pastori à Generali Domino

℣. Domino Deo nobis deputato (*cui pascere oues, & agnos commisit*) subdamur. Vndè licet in nos, dum in terris viuimus, Papa, Pontifices, reliquique Ecclesiæ Prælati, & Rectores veram & realem habeant potestatem, iurisdictionem, ideoque nos ad statutorum, ordinationumque suarum obseruantiam & cogere possint, & de facto cogant: in illas tamen purgantes animas nullam talem exercere poterunt aut potestatem, aut iurisdictionem: leges enim ipsis præscribere, aut ad præscriptarum obseruantiam easdem cogere nullâ poterunt ratione. Et quemadmodùm easdem *ligare* nequeunt, ità iure aut iuridicè eas *soluere*, aut *absoluere*, nequaquam valent. Ea namque iuridica authoritas, & authoritatiua iurisdictio Ecclesiæ Militantis Prælatis conuenit exercenda in suos tantùm subditos, sibi â Iesu Christo commissos, non in alios â suâ iurisdictione exemptos, & ereptos, aut saltem eorum curæ nunquam deputatos, cuiusmodi sunt ani-

mæ

mæ patientes in Purgatorio.

II. Nec mouet aliquid, quòd Ecclesiæ Militantis Prælati, & Rectores aliqualem habeant in dæmones iurisdictionem (licet illi ab hâc Militanti sint & loco, & regimine separati,) quòd scilicet eisdem præcipiant, eosdem puniant & castigent, exorcizent, cogant, &c: non enim est ea potestas alia, nisi vt â caulis lupus arceatur, nec exercenda, nisi quandò pios Ecclesiæ filios in bonis, personisue infestant, molestantue dæmones; adeòque solùm in gregis sibi commissi bonum, & conseruationem data est, vt nempè â tam malitioso dæmonum inuidentium filij Dei liberentur malo. Nec mirum hoc est, cum generalis omnium Dominus, Deus ipse, qui & in dæmones, sicut & in nos omnimodam habet iurisdictionem, & dominium integrum, hâc Ecclesiæ Rectoribus expressè, & disertis verbis donauerit potestatiuam authoritatem. Habemus enim in Euangelio: *Conuocatis duodecim disci-*

pulis suis, dedit illis (Christus) potestatem spirituum immundorum; vt eijcerent eos. Et infrà: *Dæmones eijcite*, inquit.
10. Et alibi: *Reuersi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subijciũtur nobis in nomine tuo.* Imò non solùm Ecclesiæ Prælati; sed & omnes Christi fideles hanc in dæmones habere poterunt potestatem.
c. Dixit enim Dominus: *Signa autem eos*
7.17. *qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia eijcient, &c.* Licet ergò in dæmones (qui Ecclesiæ Militantis membra nullatenus sunt) vt eijciantur arceanturque, aliqualem Ecclesiæ Prælati, & alij exerceant iurisdictionem, non indè statim sequitur, quòd similem habeant, & exercere poterũt potestatem in alios, qui nec Ecclesiæ sunt membra, nec gregem sibi commissum molestant, & in quos omnium generalis Dominus nullam omninò potestatiuam largitus est authoritatem.

III. Ex hinc ergò est, quòd Papæ ipsi, reliquisque omnibus, & singulis

Ecclesiæ huius Militantis Prelatis, gubernatoribusque omnem eiusmodi denegamus in animas defunctorum iurisdictionem, tàm quoad destructionem (qualem in dæmonia exequuntur,) quàm quoad ædificationem, qualem in omnes, & singulos Militantis huius Ecclesiæ filios, & habent, & iuridicè valent practicare. Et putam puram, speramus hanc esse Catholicam, & veram Ecclesiæ Dei doctrinam: non enim Scripturæ sacræ testimonium, non traditionem Apostolicam, non definitionem Ecclesiæ Dei, non eiusdem consensum generalem, non rationem vllam sufficientem allegare poterit quis in contrarium. Et crediderim Nouatorum neminem (cum ad vnum omnes, quantumcunque poterunt, vndequâque Pontificis summi diuellant authoritatem) de gratiâ speciali hanc tam amplam iurisdictionis Papę nostro, aut Prælatis alijs dare velle potestatem. Vnde hâc in parte probationibus arbitror supersedendum.

§. 7.

Quâ ratione defunctorum animis applicantur Indulgentiæ.

I. HIs itâ consideratis, facile est modum inuenire, quomodò Indulgentijs fruatitur defunctorum animæ. Et primò ex dictis certum est, non posse illas, quantum est ex parte suâ, Indulgentias obtinere pari ratione, quâ Ecclesiæ Militantis filij: non enim sunt in merendi statu, vel loco, quo proprijs actionibus bonis tantum promereri possint beneficium. Itemque secundò, ex parte ipsius distributoris defectus est: non enim poterit eisdem iuridicè tales elargiri concessiones, cum ipsius subditi non sint, sed è suâ iurisdictione totaliter exempti. Atque ideò cùm in gratiam animarum defunctorum, in flā-

mis

mis illis terribilibus purgãtium, conceduntur Indulgentiæ, sub alio tenore illud fit, quàm pro viuis: non enim possunt illæ conditiones adimplere ad illarum acquisitionem requisitas, cum actiuè meritorium quid, aut satisfactorium perficere nequeant; vndè ex se merè negatiuè se habent, expectantes Christianorum in terris degentium charitatiuam assistentiam, & misericordiæ diuinæ è cælis affluentiam. Et ex hînc est, quòd vt Indulgentijs concessis subleuentur, dictæ purgántes animæ, ê numero Militantium Christi fidelium (qui soli mereri tale possunt priuilegium) aliquis Indulgentiarum conditiones earum nomine, & pro ijsdem subire debet; & tunc demum ille idem, qui ità easdem obtinuerit, eas ipsarum Superiori (Deo scilicet) oblatas referre oportet, & hoc eo certè modo, quo similes suas preces, satisfactiones, suffragia, & sacrificia (quæ ab Indulgentijs nullatenus dependent) diuinæ Maiestati aliâs pro eisdem offerre

consueuerat. Hæc autem pro defunctis offerri cùm fructu posse maximo, superiùs declaratum est. Induunt enim Indulgentiæ pro defunctis suffragiorum naturam, vndè nulla hâc in parte assignari potest disparitas. Nec maior est certitudo has itâ procuratas, oblatasque Indulgentias, pœnarúmque relaxationes defunctorum animis prodesse (sit quòd pro multis omnipotenti præsententur Deo Purgatorij animabus, vel etiam pro speciali quadam, & solicitè obtineantur, & misericorditer exhibeãtur,) quàm quòd reliqua viuentis eiusdem suffragia, preceśue motu proprio, & charitate propriâ fusæ, eidem prosint animæ, pro quâ Deus piè solicitatur, sed æqua est vtriusque certitudo, & euidentia.

II. Verùm enimuerò vti certissimum omninò est, & de fide credendum (vt supra,) quòd in generali preces, ieiunia, eleëmosynæ, suffragia, sacrificia, aliæque militantium Christianorum satisfactoriæ operationes

animabus

animabus in aliâ vitâ purgãtibus pro-
ſunt, vt dictum eſt. Itâ etiam certiſſi-
mum omninò eſt, & ſub infidelitat
pænâ tenendum, credendumque, ho
modo obtentas, Deoque oblatas In
dulgentias patientibus illis in gene
rali prodeſſe animabus. Et è contr
ſicuti de fidei materiâ non eſt, hanc
precem, hanc eleëmoſynam, hoc ſuf
fragium, hoc ſacrificium, hancùe a
liam operatoriam ſatisfactionem, per
hunc Militantis Eccleſiæ hominem
Deo in talis animæ oblatam fauorẽ,
infallibiliter à Deo pro eâdem accep-
tatam, eidemque actualiter appli-
catam eſſe; itâ nec de fide certum eſt,
hanc Indulgentiam ab hoc particula-
ri huius Militantis Eccleſiæ membro
obtentam, Deoque pro tali particula-
ri, & denominatâ animâ defuncti ob-
latam, eidem particulari, & aſſigna-
tæ proficuam animæ ſemper eſſe, ei-
demque actualiter applicatam. Pote-
runt enim interuenire in vtrâque ra-
tione defectus quidam, aut in perſo-
nâ operante, vtpotè aut non benè diſ-

positâ in se, peiùsque laborante, aut etiam in ipsâ purgante animâ, Deo itâ inscrutabili suo disponente iudicio, vt illa ipsa, pro quâ offeruntur suppetiæ, nullatenus quibuscunque subuentionibus alleuietur, sed totam & omnimodè integram in cute propriâ reddat iustitiæ diuinæ satisfactionem. Itâ autem Deum de potentiâ absolutâ determinare quid prohibet? quòd autẽ de iustitiâ ordinariâ hoc faciat, certè credendum non est. Atque ideô est, quòd si Indulgentiæ ab authoritatem habentibus iustis concedantur de causis, & Militantis quędam Ecclesiæ persona pro defunctis eas obtinere satagat, impletisq; ad amussim conditionibus nullâ ex parte, quantum in se est, defectuosa sit, easdemque Deo pro particularis cuiusdam animæ subuentione obtulerit, illæ certè Indulgentiæ illi ipsi designatæ animæ (si in Purgatorij flammis detinetur) de lege Dei ordinariâ, & modo procedẽdi Dei cõmuni, suppetias certò afferunt. Quòd si ea ipsa

anima itâ denominata eo gaudere non poterit beneficio (vtpotè quià in cælis iam triumphat coronata, vel ad inferni ima deprimitur cremanda, vel aliter iusto Dei, sed secreto & inscrutabili iudicio, omni subleuamine priuatur) reliquę inter ignes purgantes animæ omnes, vel quædam, vel vna, saltem prout iustum & æquum Domino Deo ipsas itâ sibi oblatas distribuere Indulgentias videbitur, tanto fruentur bono, nec quicquam iustè in contrarium potest allegari.

III. Certum etenim est, & ê Scripturis, Patribus, & euidenti ratione probatum satis, defunctorum animas in Purgatorij flammis satisfacientes solatium in afflictione suâ, & pænarum suarum moderationem tàm in qualitate, & intensione easdem miniorando, quàm in quanto durationis illud abbreuiando, recipere, tùm ex publicis Ecclesiæ Catholicæ suffragijs, precibusque, & sacrificijs, &c: tùm ex satisfactionibus pijs cuiuscun- c. 7. §. 5

que sint generis priuatorum Ecclesi
sanctæ membrorum in terris hîc de
gentium, modò debitis peragantu
virtutum circumstantijs. Deindè a
què certū est, è Scripturis Sacris, Pa
tribus, euidentissimâq; ratione (pro
è toto hoc tractatu liquet) hoc Mil
tantis Ecclesiæ membrum, requisit
conditionibus obseruatis, & pos
obtinere, & de facto potiri Indulgen
tijs, iustis de causis per Prælatos Ec
clesiæ Catholicæ concessis, & in an
marum fructu persentiscere benef
cium. At verò iste idem viuens hom
qui eo pacto Indulgentiarum ben
ficium obtinuit, propriumque si
fecit, non minùs ac alias suas negoti
tione propriâ, & operatione acquis
tas satisfactiones, de illo æquè ac
his ad suæ voluntatis beneplacitu
disponere potest: vndè si proprias s
tisfactiones in defunctorum purga
tes conferre potest animas, quid ver
quîn & his Indulgentiarum acquis
tas satisfactiones per conditionu
adimpletionem, suas item factas pr
pria

prias in easdem purgantes defunctorum animas conferre possit, præsertim cum distributores ipsi in eum effectum expressè has illi obtulêre satisfactiones? equidem potest: nec potest aliqua disparitas alicuius momenti adferri in contrarium.

IV. Hunc autem habent sensum illa sæpiusculè in Bullis Indulgentiarum inserta verba (*per modum suffragij*:) dicunt enim, quòd sicut alia suffragia prosunt defunctorum animis in Purgatorio, eodem planè modo & Indulgentiæ eisdem animabus prosunt; priora, quiâ propria hominis eadem operantis bona sunt, defunctis communicabilia, & ab operante cum supplicatione Deo pro eiscē oblata, quibus Deus mouetur (non cogitur) ea pro alicuius animæ liberatione acceptare, & anima supplicatoriè (non authoritatiuè) â pœnis liberatur, non iuridicè soluitur, aut absoluitur: & posteriora proprijs meritis item acquisita homini, & propria iam facta, æquè communicabilia sunt, & eo-

c dem

dem prorſus modo pro defunć
rum animis oblata, acceptata ; &
dem proficua, quo priora; vndè ſuff
giorum hâc in parte induunt nat
ram. Plana ſunt iſthæc. Indulgen
etenim ſatisfactiones afferunt, & h
non minùs communicabiles, quà
propriæ, vtpotè è theſauro Eccl
ſiæ portiones ſatisfactionũ Ieſu Chi
ſti, & Sanctorum eius, & diſtribu
& obtineri ſecundùm diſtribuent
intentionem poſſibiles ; ac pro-
indè mirum non eſt, ſi per
medium ſuffragij eaſdē pro
alio quis offerat ; cum
omni ex parte ſuf-
fragijs alijs aſſimi-
lentur.

§. 8

§. 8.

Soluuntur obiecta quædam : & totius libri Anacephaleosis.

I. **E** Toto huius tractatus decursu patet, sensatam quidem esse Indulgentiarum fidem, vtpote Scripturis sacris, Patribus antiquissimis, Ecclesiæ Catholicæ praxi continuâ, rationeque euidenti probatissimam: Fundatæ etenim benè sunt Indulgentiæ nostræ in Ecclesiæ Catholicæ Christi fidelium communione sacrâ, ê thesauro satisfactionum Iesu Christi, Sanctorumque eius depromptæ, defectuosis in suo peccatorum (pro quibus aliâs satisfaciendum erat) quoto concessæ, & ab authoritatem ad eum effectum habentibus distributæ ; à Pastoribus nempè, Ecclesiæque Prælatis

pulis suis, dedit illis (Christus) *potestatem spirituum immundorum; vt eijcerent eos.* Et infrà: *Dæmones eijcite*, inquit.
10. Et alibi: *Reuersi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subijciũtur nobis in nomine tuo.* Imò non solùm Ecclesiæ Prælati; sed & omnes Christi fideles hanc in dæmones habere poterunt potestatem.
c. Dixit enim Dominus: *Signa autem eos*
7.17. *qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia eijcient*, &c. Licet ergô in dæmones (qui Ecclesiæ Militantis membra nullatenus sunt) vt eijciantur arceanturque, aliqualem Ecclesiæ Prælati, & alij exerceant iurisdictionem, non indè statim sequitur, quòd similem habeant, & exercere poterũt potestatem in alios, qui nec Ecclesiæ sunt membra, nec gregem sibi commissum molestant, & in quos omnium generalis Dominus nullam omninò potestatiuam largitus est authoritatem.

III. Ex hinc ergô est, quòd Papæ ipsi, reliquisque omnibus, & singulis

Eccle-

Ecclesiæ huius Militantis Prælatis, gubernatoribusque omnem eiusmodi denegamus in animas defunctorum iurisdictionem, tàm quoad destructionem (qualem in dæmonia exequuntur,) quàm quoad ædificationem, qualem in omnes, & singulos Militantis huius Ecclesiæ filios, & habent, & iuridicè valent practicare. Et putamus putam, speramus hanc esse Catholicam, & veram Ecclesiæ Dei doctrinam: non enim Scripturæ sacræ testimonium, non traditionem Apostolicam, non definitionem Ecclesiæ Dei, non eiusdem consensum generalem, non rationem vllam sufficientem allegare poterit quis in contrarium. Et crediderim Nouatorum neminem (cum ad vnum omnes, quantumcunque poterunt, vndequâque Pontificis summi diuellant authoritatem) de gratiâ speciali hanc tam amplam iurisdictionis Papæ nostro, aut Prælatis alijs dare velle potestatem. Vnde hâc in parte probationibus arbitror supersedendum.

§. 7.

Quâ ratione defunctorum animis applicantur Indulgentiæ.

I. His ità consideratis, facile est modum inuenire, quomodò Indulgentijs fruantur defunctorum animæ. Et primò ex dictis certum est, non posse illas, quantum est ex parte suâ, Indulgentias obtinere pari ratione, quâ Ecclesiæ Militantis filij: non enim sunt in merendi statu vel loco, quo proprijs actionibus bonis tantum promereri possint beneficium. Itemque secundò, ex parte ipsius distributoris defectus est: non enim poterit eisdem iuridicè tales elargiri concessiones, cum ipsius subditi non sint, sed è suâ iurisdictione totaliter exempti. Atque ideò cùm in gratiam animarum defunctorum, in flā-

mis

mis illis terribilibus purgãtium, con-
ceduntur Indulgentiæ, sub alio teno-
re illud fit, quàm pro viuis: non enim
possunt illæ conditiones adimplere
ad illarum acquisitionem requisitas,
cum actiuè meritorium quid, aut sa-
tisfactorium perficere nequeant; vn-
dè ex se merè negatiuè se habent, ex-
pectantes Christianorum in terris de-
gentium charitatiuam assistentiam,
& misericordiæ diuinæ è cælis afflue-
tiam. Et ex hînc est, quòd vt Indul-
gentijs concessis subleuentur dictæ
purgantes animæ, è numero Militan-
tium Christi fidelium (qui soli mereri
tale possunt priuilegium) aliquis In-
dulgentiarum conditiones earum
nomine, & pro ijsdem subire debet; &
tunc demum ille idem, qui ità easdem
obtinuerit, eas ipsarum Superiori
(Deo scilicet) oblatas referre opor-
tet, & hoc eo certè modo, quo simi-
les suas preces, satisfactiones, suffra-
gia, & sacrificia (quæ ab Indulgen-
tijs nullatenus dependent) diuinæ
Maiestati aliâs pro eisdem offerre

consueuerat. Hæc autem pro defunctis offerri cum fructu posse maximo, superius declaratum est. Induunt enim Indulgentiæ pro defunctis suffragiorum naturam, vndè nulla hâc in parte assignari potest disparitas. Nec maior est certitudo has itâ procuratas, oblatasque Indulgentias, pœnarumque relaxationes defunctorum animis prodesse (sit quòd pro multis omnipotenti præsententur Deo Purgatorij animabus, vel etiam pro speciali quâdam, & solicitè obtineantur, & misericorditer exhibeãtur,) quàm quòd reliqua viuentis eiusdem suffragia, precesue motu proprio, & charitate propriâ fusæ, eidem prosint animæ, pro quâ Deus piè solicitatur, sed æqua est vtriusque certitudo, & euidentia.

II. Verùm enimuerò vti certissimum omninò est, & de fide credendum (vt suprà,) quòd in generali preces, ieiunia, eleemosynæ, suffragia, sacrificia, aliæque militantium Christianorum satisfactoriæ operationes animabus

animabus in aliâ vitâ purgātibus prosunt, vt dictum est. Itá etiam certissimum omninò est, & sub infidelitatis pænâ tenendum, credendumque, hoc modo obtentas, Deoque oblatas Indulgentias patientibus illis in generali prodesse animabus. Et è contra sicuti de fidei materiâ non est, hanc precem, hanc eleëmosynam, hoc suffragium, hoc sacrificium, hancùe aliam operatoriam satisfactionem, per hunc Militantis Ecclesiæ hominem Deo in talis animæ oblatam fauorē, infallibiliter â Deo pro eâdem acceptatam, eidemque actualiter applicatam esse; itâ nec de fide certum est, hanc Indulgentiam ab hoc particulari huius Militantis Ecclesiæ membro obtentam, Deoque pro tali particulari, & denominatâ animæ defuncti oblatam, eidem particulari, & assignatæ proficuam animæ semper esse, eidemque actualiter applicatam. Poterunt enim interuenire in vtrâque ratione defectus quidam, aut in personâ operante, vtpotè aut non benè dis-

anima itâ denominata eo gaudere non poterit beneficio (vtpotè quià in cælis iam triumphat coronata, vel ad inferni ima deprimitur cremanda, vel aliter iusto Dei, sed secreto & inscrutabili iudicio, omni subleuamine priuatur) reliquę inter ignes purgantes animæ omnes, vel quædam, vel vna, saltem prout iustum & æquum Domino Deo ipsas itâ sibi oblatas distribuere Indulgentias videbitur, tanto fruentur bono, nec quicquam iustè in contrarium potest allegari.

III. Certum etenim est, & è Scripturis, Patribus, & euidenti ratione probatum satis, defunctorum animas in Purgatorij flammis satisfacientes solatium in afflictione suâ, & pænarum suarum moderationem tàm in qualitate, & intensione easdem minorando, quàm in quanto durationis illud abbreuiando, recipere, tùm ex publicis Ecclesiæ Catholicæ suffragijs, precibusque, & sacrificijs, &c: tùm ex satisfactionibus pijs cuiuscun- c. 7. §. 5

que

quæ sint generis priuatorum Ecclesiæ sanctæ membrorum in terris hîc degentium, modò debitis peragantur virtutum circumstantijs. Deindè æquè certū est, è Scripturis Sacris, Patribus, eâdemque vltimâq; ratione (prout è toto hoc tractatu liquet) hoc Militantis Ecclesiæ membrum, requisitis conditionibus obseruatis, & posse obtinere, & de facto potiri Indulgentijs, iustis de causis per Prælatos Ecclesiæ Catholicæ concessis, & in animarum fructu persentiscere beneficium. At verò iste idem viuens homo, qui eo pacto Indulgentiarum beneficium obtinuit, propriumque sibi fecit, non minùs ac alias suas negotiatione propriâ, & operatione acquisitas satisfactiones, de illo æquè ac de his ad suæ voluntatis beneplacitum disponere potest: vndè si proprias satisfactiones in defunctorum purgantes conferre potest animas, quid vetat quîn & has Indulgentiarum acquisitas satisfactiones per conditionum adimpletionem, suas item factas proprias

prias in easdem purgantes defunctorum animas conferre possit, præsertim cum distributores ipsi in eum effectum expressè has illi obtulêre satisfactiones? equidem potest: nec potest aliqua disparitas alicuius momenti adferri in contrarium.

IV. Hunc autem habent sensum illa sæpiusculè in Bullis Indulgentiarum inserta verba (*per modum suffragij*:) dicunt enim, quòd sicut alia suffragia prosunt defunctorum animis in Purgatorio, eodem planè modo & Indulgentiæ eisdem animabus prosunt; priora, quià propria hominis eadem operantis bona sunt, defunctis communicabilia, & ab operante cum supplicatione Deo pro eiscē oblata, quibus Deus mouetur (non cogitur) ea pro alicuius animæ liberatione acceptare, & anima supplicatoriè (non authoritatiuè) â pœnis liberatur, non iuridicè soluitur, aut absoluitur: & posteriora proprijs meritis item acquisita homini, & propria iam facta, æquè communicabilia sunt, & eodem

§. 8.

Soluuntur obiecta quædam : & totius libri Anacephaleosis.

I. E Toto huius tractatus decursu patet, sensatam quidem esse Indulgentiarum fidem, vtpote Scripturis sacris, Patribus antiquissimis, Ecclesiæ Catholicæ praxi continuâ, rationeque euidenti probatissimam. Fundatæ etenim benè sunt Indulgentiæ nostræ in Ecclesiæ Catholicæ Christi fidelium communione sacrâ, ê thesauro satisfactionum Iesu Christi, Sanctorumque eius depromptæ, defectuosis in suo peccatorum (pro quibus aliâs satisfaciendum erat) quoto concessæ, & ab authoritatem ad eum effectum habentibus distributæ ; â Pastoribus nempè, Ecclesiæque Prælatis

piè creditur tunc fuisse, cum Christus in infernum descendens omnes indè eripuit animas, iuxtà illud: *solutis doloribus inferni*;) aliç tamen de nouo morientium, & non plenè in hâc vitâ satisfacientium animç quôtidiè eò adiudicantur, deferunturque, quibus & suffragijs, & Indulgentijs pij fideles charitatem suam (vt defunctis fratribus) testatam volentes, solicitè poterunt subuenire.

III. Atque item cum conditiones quædam, vt obtineatur Indulgentiarum effectus, subeundæ sint, necessum est, vt in eisdem adimplendis solicitus ac curiosus omninò quis sit: defectus enim in earum quâcunque, vel minimâ, in effectu etiam producit proportionalem: ità namque à causis dependēt rerum effectus, vt *bonum ex integrâ causâ, malum autem ex quolibet defectu proueniat*; nempè vt effectus bonus eliciatur, efficientem, materialem, formalem, finalem, conditionalem, &c. causas ex integro sinè mutilatione concurrere necesse est: ad

defe-

defectum verò sufficit, vt vel earum aliqua, etiam in aliquâ tantùm portione, defectuosa sit, vt in effectu correspondeat deformitas: adeò est arduum bonum quid operari, adeòque prona est natura nostra ad defectus quoslibet. Ac proindè dum Christiani Militantis pro fratribus in Purgatorij flammis exustis succurrere piè conatur, æquè defectibus suis subiecti sunt, ac si pro seipsis laborarent. Vndè sicut non semper fortè, Indulgentijs pro seipsis concessis potiuntur fideles, etiam tunc, cum in apparentiâ exteriori æstimantur conditiones ex integro adimplesse: *homo enim videt ea tantùm quæ parent, Deus autem intuetur cor*: itâ nec tunc, cum pro defunctis fratribus laborant, semper gaudeat priuilegio. Et hînc etiam patet, animas non semper ab illis flammis per Indulgentias liberari, aut Purgatorium euacuari.

1. Reg. 16. 7.

IV. Ea denique est fortassis Diuinæ Maiestatis dispositio, vt ex eminentiâ prærogatiuæ cælestis, & potentiâ

tentiâ suâ absoluta (propter causas sibi soli notas, & in secreto suo sibijpsi reseruatas) circâ purgantes animas determinatio; vt earum aliquæ nullo Indulgentiarum, suffragiorumuè adiumento subleuentur, vt dictum est: vel ea sapientiæ diuinæ circà Ecclesiæ suæ regimen prouidentia sacra; vt Indulgentiæ nec adeò amplæ, nec frequentes pro defunctis â pastoribus concedantur, nec etiam concessæ abs Ecclesiæ membris itâ iteratò obtineantur pro eisdem, vt omninò nullæ in Purgatorio animæ remorentur. Vtcunque sit, tam in istis quàm alijs omnibus, vbi Deus determinationes suas in Scripturis sacris non reuelauit, nec per traditiones Apostolicas de manu in manum traductas nobis ostendit, nec per Ecclesiæ definitionem de rei veritate nos certiores effecit, nec per vnanimem Patrum Ecclesiæ consensum tam de antiquitate, quàm de certitudine sensum suum nobis aperuit, certum quid de fide statuere non possu-

mus omninò, sed inscrutabilibus ipsius iudicijs relinquenda sunt eiusmodi omnia, tanquam nobis abscondita, & illi soli nota, *qui omnia portat verbo virtutis suæ.* Meum ergô est ea omnia, meque ipsum non solùm illi, sed & ipsius Sponsæ Ecclesiæ Sanctæ Catholicæ, & quicquid aliâs dixi, quicquid in hoc inculto tractatulo scripsi, & quicquid vnquam scripturus, dicturusuè sum, cum humili obedientiâ submittere.

Totum ergò Ecclesiæ sanctæ Catholicæ censuræ subiectum esto.

INDEX

INDEX
Rerum in hoc tractatu contentarum.

In quo

c. caput. f. sectionem. § paragraphum. n. numerum. & p paginam denotant.

A.

B.

C.

Christus

 Con-

F.

G.

H.

I.

Maria

M.

O

FINIS.